JOH. COMBACHII,

METAPHYSICORUM,

LIBRI DUO

UNIVERSAM PRIMÆ Philosophiæ doctrinam theorematibus brevissimis comprehendentes, & Commentariis necessariis illustrantes: studiosis ejus disciplinæ perquam utiles & fructuosi.

EDITIO QUARTA


Prioribus editionibus auctior & castigatior.

Additus est cuilibet libro in fine Index rerum & verborum locuples.



OXONII,
Excudebat *W. Hall*, Impensis *Ric. Davis*. Anno 1662.


B.N.
F.MAD
OXFO


BODL. LIBR.
14 DEC 1921
OXFORD



ALMÆ STUDIORUM MATRIS.

Antiquissimæ & laudatissimæ Academiæ & Vniversitatis Oxoniensis Proceribus

Magnificis, Amplissimis, Reverendis, Clarissimis & Excellentissimis Viris,

INSIGNISSIMO DN. VICECANcellario, omniumque Artium & facultatum Doctoribus, Professoribus & Magistris, Collegiorum & Aularum Rectoribus, Præsidibus, Custodibus & Præfectis, Dominis & fautoribus suis omni observantia colendis



SALUTEM ET BENEDICTIONEM

MUlta præclarè à Regibus & majoribus vestris, viri Magnifici & Excellentissimi, in laudatissima vestra Academia instituta, à vobis conservata & aucta cernuntur: quæ quoties animo mecum revolvo, summoperè admiror eorum magnificentiam, liberalitatem & prudentiam, quorum sumptibus, labore, ope, & industria tam laudabile opus extructum, in hanc celebrem formam excrevit, ut splendore & magnificentia cum omnibus Academiis vestra certare possit. Nihil de Collegiorum & Aularum structuris dicam, tam nobili opere erectis, ut non Scholas & Gymnasia, sed Regum & Principum palatia

ſpectare videatur, qui eas oculis luſtraverit: quas pyramidum etiam tantoperè decantatarum molibus præfero, quæ illa prodigorum hominum vana opera in mortuorum, credit, monumentum graviſſimo ſubditorum onere fuerint extructæ: hæc ædificia tot nobilibus ingeniis excolendis magno Eccleſiæ & Reipub. literariæ bono deſtinata, uberrimum ſui fructum reliquerint. Nihil de maxima ſtudioſorum frequentia, quam ſingularem Academiarum fœlicitatem exiſtimare ſolemus: hanc ad tria millia excreviſſe meo tempore conſtans ſermo fuit. In qua frequentia id præcipue memorabile, quod ſingulari Patronorum favore & beneficentia, Socii Collegiorum magno numero gravibus ſumptibus liberaliter ali & haberi poſſint; raro certè beneficio, quo qui fruantur, in eodem Collegio ſeptuaginta quandoque numerantur. Accedit huc inſignis illa & celeberrima Bibliotheca, maxima Thomæ Bodleii equitis cura, magniſque ſumptibus cæpta, in quam inferuntur, quotquot de novo in lucem prodeunt libri, eximium ſtudiorum ſubſidium; ut in promptu habeant magnorum virorum meditationes, quicunque Artium & diſciplinarum cura ducuntur. Quæ ſingula & multa alia ita comparata ſunt, ut ſi de iis pro merito dicerem, Epiſtolæ modum excederem: ſingula certè eximium decus Academiæ veſtræ pepererunt. Unum eſt, quod hæc omnia ſuperat, quoque maximam celebritatem & famam conſequuti eſtis: Virorum doctiſſimorum multitudo, qui apud vos ſuperioribus & hodierno ſeculo vixerunt & docuerunt. Nota eſt Rogerii Bacconis, Scoti, Ockami, Burlæi, aliorumque plurimorum inter Scholaſticos ingenio-

geniorum subtilitas, tanta certè, ut si Thomam & forsan Bonaventuram excipias, nullus sit, qui in comparationem cum his venire possit. In vestra Academia hi omnes sunt nati & educati. Hinc Wicleffi doctrina in Bohemiam translata, à Johanne Husso approbata, tyrannidis Pontificiæ crudelitatem & superbiam arguere primum, & è densissimis tenebris aliquã lucem proferre cœpit. Hic Petrus Martyr insignis ille Theologus nobilem Disputationem cum Pontificiis habuit, eorumq; errores solidè confutavit. Hic docuit gravissimus Theologus Johannes Rainoldus, vir quẽ sequutura secula admirabuntur, ob rerum tum Theologicarum, tum profanarum exactam notitiam. Testis esse poterit doctissimus liber de Apocryphis scriptus. Audivi apud vos publicè Theologiam docentem virum multiplici lectione insignem Thomam Hollandum, qui non in theoria modò, sed & in praxi candorem veri Theologi spirabat. Et hoc tu munere, mi Prideauxi, in Regia Professione ornanda magna laude nunc fungeris: de quo plurimum mihi gratulor ob necessitudinem eam, quæ inter nos semper fuit. In infinitum numerus cresceret, si singulos numerarem, qui nominis immortalitatem inter vos sunt adepti. Qui vestros consessus & conventus vidit, testari poterit, quanta iis insit dignitas & amplitudo: ut quod de Romanorum Senatu olim dicebatur, eum Regum & principum consessum repræsentare, de vestris verè dici possit, conventum priscorum Theologorum, quales Augustini & Hieronymi fuerunt tempore, canicie, pietate & sapientia venerandorum, in iis apparere. Quæ tamen dignitas tanta cum humanitate mixta est, ut magno favore

 & be-

& benevolentia, maximis etiam beneficiis à vobis me publicè privatimque affectum esse, gratissimo animo lubens tester. Et hæc causa est, cur vobis, viri Magnifici & Excellentissimi, cum Typographus distractis exemplaribus alteram Metaphysicæ meæ editionem urgeret, ad meam observantiam & qualemcunque gratitudinem testandam inscribere eam voluerim: rogo vero, ut hoc meum institutum ex sincero erga vos animo & affectu profectum benevole probare dignemini. Deum Opt. Max. precor, ut vos vestramque Academiam magno Ecclesiæ, Regni vestri, & Republicæ Christianæ bono incolumem & florentem diutissimè conservare velit. Dabam Marburgi Calend. Martii anno à nato Christo M.D.C.XX.

V. V. Magnif. Amplif. Excell.

Observantissimus

JOH. COMBACHIUS.



REVERENDO ET CLARISSIMO VIRO,

DN. JOHANNI PRIDEAUXIO

SS. Theologiæ Doctori, & Exoniensis Collegii in Celeberrima Oxoniensi Academia Rectori dignissimo, Dn. & amico suo plurimùm honorando.

JOHANNES COMBACHIUS S. P. D.

QVum annis superioribus studiosæ juventutis informandæ gratia inter alia exercitia Metaphysicum quoddam Tyrocinium hoc officium à me efflagitantibus præscriberem, adeò non videbar scopum quem meditabar assequutus, ut librâ me neglectus manibus prorsus excideret: is tamen cura eorum, qui à me dictante exceperant, asservatus, postliminio superioribus mensibus ad me rediit. Ac tametsi nec nunc dignum magis judicarem, qui ederetur: agnoscebam enim faciliè nullâ ex parte eum respondere dignitati disciplinæ nobilissimæ. Certæ tamen causæ fuere, quibus adductus prælo eum subjeci. Hunc libellum nunc éditum clarissime Vir, ad te mitto, non quòd tuum examen & censuram sustinere possit: levior enim est, quàm qui grave judicium ferat. Sed ut testis sit ejus amicitiæ & necessitudinis, quam contraximus firmissimam, quum unâ nobis esse liceret, nunquam, ut spero, intermorituram. Et ut testetur nondum mihi excidisse memoriam vestri regni: quod quum sit aliis rebus plurimis florentissimum,

tißmum, tum vero jucundißima mihi semper est recordatio earum rerum, quæ in vestra Academia vel vidi, vel quæ mihi aliàs obtigêre. Est ea ob ædificiorum splendorem & magnificentiam, & virorum clarißimorum, qui à tot retrò seculis in ea vixêre & docuêre multitudinem nobilißima. Tu enim Prideauxi nôsti, quàm gratum mihi fuerit vobiscum vivere, vel ob hoc unum, quòd Bacconem, Scotum, Occamum, Burlæum, aliosque plurimos omni ævo celeberrimos viros habueritis. Et est insigne vestræ Academiæ decus Bibliotheca instructißima nobile Equitis nobilißimi Tho. Bodleii monumentum: in qua nescio utrum priùs admirari debeam, librorum copiam & multitudinem an vero Bodleii in ea instruenda magnificentiam. Multa alia taceo, quæ nunc ut prætercam, faciliùs adducor, quòd nec ea pro dignitate à me dici posse arbitror, & fusiùs de his à me dictum memini, quum in Schola vestra Theologica publicas quasdam prælectiones de mentibus separatis instituerem. Quo ipso tempore tantum Academiæ vestræ erga me affectum & benevolentiam nullo meo merito sensi, ut perpetua observantia eam jure prosequerer, si præter hoc unum nullum ejus in me extaret beneficium. Verùm sine ingratitudinis nota præterire nequeo, quæ & quàm multa singuli privatim in me collocârint. Certè eam favorem & amorem sum expertus, ut nesciam an in peregrinum major conferri poßit. Inprimis v. Reverendißimus in Christo Pater Ioh. Kinge, nunc Episcopus Londinensis, id temporis Academiæ Vicecancellarius, vir omni pietate, omnique virtutum genere cumulatißimus, et clarißimus Vir Georgius Ryvius SS. Theolologiæ Doctor, et Collegii Mariani custos singulari gravitate conspicuus, nostræ gentis aman-

amantißimus, & cui demortuo nunc ſuccedis Prideauxi Reverendus Pater Thomas Hollandus SS. Theologiæ Doctor, et Profeſſor Regius vir multiplicis lectionis: et cui tu nunc præes univerſum Exonienſe Collegium: potißimum verò vir raræ pietatis Guilielmus Helme Collegii Subrector, amicus meus dilectißimus, tanta mihi exhibuere beneficia, humanitatem amorem favorem, et benevolentiam, ut iis quidem gratiam me debere fateri poßim, referre haud facilè poßim. Eſt et ſuavißima ſemper recordatio ejus converſationis, quæ mihi tecum et cum amborum amico Adamo Reutero Iuris Licentiato interceßit: tam frequens et facilis, ut inter fratres eſſe videretur. Hic liber in memoriam tibi revocabit, quæ inter nos dicta et geſta ſunt ſæpius. Gratus ſit ſcio: ſi vel maximè ſine Gratiis veniat, quod amicitiæ noſtræ teſtem et teſſeram appellarim, et probabis librum, quia ab amico profectus eſt, ſi vel maximè ea quæ libro inſcripta ſunt improbaveris. Nec enim hoc peto: non in eo amicitiæ noſtræ fundamentum ſitum eſt, ut alterius quiſque opiniones vel probemus, vel improbemus, dummodo cuique noſtrum ſcopus propoſitus is ſit, ut et veritatem uterque ſectari deſideret, & uſui publico inſervire ſtudeat. Eſt enim in memoria recenti quod in trito eſt:

Diverſum ſentire duos de rebus iiſdem,
Incolumi licuit ſemper amicitia.

Et notum eſt illud Ariſt. 1. Moral.

Ἀμφοῖν ὄντοιν φίλοιν ὅσιον προτιμᾶν τὴν ἀλήθειαν. Vale. Dabam Marpurgi, Idibus Martii, Anno 1613.



προσφώνησις

ERASMI JUNIORIS

BARONIS STARHEMBERGII Academiæ Marpurgensis pro tempore (1613) RECTORIS

AD

Excellentissimum juxta ac Doctissimum Virum,

DN. M. JOHANNEM COMBACHIUM Philosophiæ in Illustr. Academia Marpurg. Professorem Ordinar.

HVnc ut commendem librum tua suadet JANE.
Doctrina insignis, cognita rite mihi.
Nunc magis hanc noscet, Gallus, Germanus, et Anglus,
Atque alii, quorum nomina magna vigent.
Ipseque doctorum liber hic celebrabitur ore,
Qui solus sophiæ culmina prima tenet.
Eximii liber est fructus, præclaraque multa
Is docet: authorem laudat et ipse suum.
Nam dum per librum instruitur studiosa juventus,
Summa hinc exstruitur lausque decusque tibi.

Hoc

Hoc mecum agnoſcit meritoque Academia noſtra,
Proque opere hoc multum debet & ipſa tibi.
Sed quid plura loquar? tantum hæc doctiſsime COMBACH.
Addo, quod voti eſt ſumma caputque mei
Vive valeque diu, Chriſto ſervire, ſcholiſque
Ut prodeſſe queas: vive valeque diu.

Epigramma
CAROLI BARONIS DE KAUNICZ

In Metaphyſicam viri Clariſsimi, Philoſophi acutiſsimi, Domini

JOANNIS COMBACHII.

DOctrinæ eſſe genus de Re quo tractat ut eſt Res,
Vnanimi cœtus comprobat ore σοφῶν,
Nam datur a primis qui tendit ad ordo ſecunda,
Hinc doctrina datur quæ quoque prima docet:
Quam cultis plures illuſtra vêre libellis,
Et cujus vires explicuere ſatis.
At velut eſt artis, ſi quis brevis eſſe laboret,
Complecti & paucis plurima verba ſciat,
Sic tuus excellit per multos arte libellus
Fontes Combachi *quod brevitate docet.*
Nec tamen ut μίθοδον ſeu res ſeu verba revolvam;
Vili doctrina cedit & arte gravi.
Perge igitur dapibus ſimiles his promere plures,
Ingenii cupidis ex locuplete penu;
Inclyta ſic tibimet paries præconia famæ;
Proque labore tuo præmia digna feres.

EPIG

EPIGRAMMA
AD RECTOREM,
SUBRECTOREM,
& Socios Collegii Exon.
OXONII.

ANglia *longè aliis felicior* Insula *cunctis*
Est, Amphitrite quas secat Orbe *fretis*
Oxonium *reliquis illustrius* Urbibus *unum est,*
Anglia Londinum *quas modo præter habet.*
Exoniense *præit* Collegia *cætera fama,*
Quæ multa Oxonium *&* *splenndida cuncta tenet.*
Arte super Socios Prideauxius *eminet omnes,*
Rectoris *virtus cui titulum alta dedit.*
Germanæ *columen* Prideauxius *ille juventæ est,*
Extera quæ studii lustrat amore loca :
Teutonum *& hospicium vere* Exoniense *theatrum est,*
Oxonium *est Musis aula dicata sacris.*
Albion *& nivea ora effert, & candida corda,*
Germanos fratres *gens, velut orta, fovet.*
Expertus loquor, & mecum Combachius *ipse,*
Qui libro in scripto te, Prideauxe,*colit.*
Ortu, opibusque potens, nuda mihi voce Petræus
Par Baro , *laus vestræ est, &* petra *firma Scholæ.*
Cœnobii Benefactor erat Pater, *ipse Patronus*
Est petra virtutum Filius Exonici.
Nomine vos solo me sic coluistis amatum,
Ac si essem illustri hoc sanguine natus ego.
Gratia

Gratia tanta viris, stat apud me gratia facti,
Si potero & vestris grata referre, feram.
Helme, Hakwil, Vilvain, Prideauxi *ô vivite amici,*
Sit Willingbæo Magdala *fausta meo.*
Barkerus Doctor, Warnerus *in* Arte Professor
Clarus, Monssellus *salveat artis honos.*
Ansa salutandi meus est Combachius *alter,*
Qui parili affectis vosque Scholamque colit.
Hassiacis *vestrum dicetur nomen* Athenis,
Sive his Combachius, *sive* Petreus *adest.*
Nec mihi vera Soror *dilecta tacebitur, ipsa*
Dulce mihi hospitium, sed breve amica dedit.
Floreat Oxonia, *ac* Cantabrigia *artibus æquis,*
Nobile Marpurgum *flore perenne micet.*

Henricus Petræus Phil. & Med. D.
& *Prof.* P. Ord. & ejusd. Fac.
p. t. Decanus in Academia
Marpurgensi.

M. GVOLFGANGUS

Loriseca Orator, & Poës. Professor Cassel.

In effigiem Dn. Iohannis Combachii SS. Theol. & Phil. Profess.

I.

GLoria Cattorum, nostrique columna Lycæi,
Ingens ingenio, dexteritate potens.
Tune sophus potius dici merearis, acutus
Quam mihi Theologus, res dubitare jubet.

II.

Quicquid Aristoteles, Plato, Duns, tenuere patresque,
Ingenii princeps Combachius obtinet unus.

III.

Germani, Galli, Belgæ, Angli, Italique Joannis
Combachii ingenium (quis neget ista?) stupent.
Hunc audire virum quoque si contingeret illis;
Scirem Combachium nullibi habere parem.

IIII.

Effigiem cestris exsculptam cernere gestis,
Cujus fama cluet, dum polus ipse ruet;
Ingenii princeps, Cattorum fama deinceps;
An satis arridet, quem bene quisque videt?

INDEX

NDEX CAPITUM

LIBRI PRIMI.

Cap.

LIBRI II.





JOAN. COMBACHII *WETTERANI* METAPHYSICORUM LIBER PRIMUS.

Caput I.

De Definitione & Subjecto Metaphysicæ.

Theorema primum.

M*Etaphysica est scientia, quæ speculatur Ens prout Ens est, & quæ ei per se insunt.*

2. *Ejus consideratio duplex est: absoluta, & respectiva seu ordinata ad scientias alias particulares.*

3. *Absolutè consideratæ pars alia est Universalis, alia Particularis.*

4. *Universalis pars ea est, quæ agit de Ente, quatenus Ens est, secundum conceptum indifferentiæ.*

5. *Particularis ea, quæ docet naturam Entis quatenus Ens, secundum conceptum separatorum per essentiam, cujusmodi sunt Deus, Angeli, aliæque intelligentiæ, &c.*

6. *Consideratio respectiva est ordo doctrinæ*

Metaphysicæ ad disciplinas particulares, quoad eorum principia et subjecta.

7. *Hoc sensu Alpharabius lib. de divisione scientiarum, ut annotavit Vincentius Spec. doctr. l. 17. c. 57. eam in tres partes dividit: quarum prima inquirat de essentiis, et de rebus, quæ accidunt eis, secundum quod sunt essentiæ. Secunda agat de principiis speculativarum particularium. Tertia verò de essentiis, quæ non sunt corpora, nec in corporibus. Quam eandem sententiam amplectitur Aver. in epit. Metaph. tract. 1. sub initium.*

8. *Consideratio Universalis absoluta consistit in quatuor: Subjecto, principiis, affectionibus et divisionibus.*

9. *Subjectum Metaphysicæ consideratur vel adæquatum, vel inadæquatum.*

10. *Subjectum Metaphysicæ adæquatum est vel ex opinione, vel è rei veritate.*

11. *Subjectum adæquatum ex opinione, vero subjecto vel est latius, vel strictius.*

12. *Subjectum latius, quod longius sese diffundit atque natura veri subjecti patitur.*

13. *Estque vel Intelligibile vel Ens, ut in latissima significatione accipitur.*

14 *Intelligibile definiunt, omne quod intellectu percipi ac comprehendi potest, prout sese extendit ad nihil et aliquid.*

15. *Minus id quidem propriè. 1. Intelligibile potius denotat modum circa subjectum, quàm subjectum; formalitas enim veri denotatur ex ordine ad intellectum. 2. nihil et entia rationis indirectè sub rationem subjecti veniunt, directè enim in scientia reali subiectum illud dicimus, quod sua natura potest terminare actum intellectus*

lectus. 3. & docet Zimara in quæst. de primo cognito ex Arist. & Aver. 9. Metaph. t. cap. 20. intelligibile ne quidem ad Ens reale in universum se extendere, nedum ad nihil feratur : intelligibilitas, inquit, est passio primò & per se competens Enti in actu, quatenus ens actu, non autem est passio primò competens Enti, in quantum Ens est.

16. Ens latissimè acceptum duas speciales significationes sub se complectitur, ut docet Thom. in opusc. de ente & essent. & 1. p. q. 48. art. 2. 1. Prout dividitur per decem prædicamenta. 2. ut significat veritatem propositionis, cujus nota est verbum EST, ut : homo est cæcus. Et ita idem de eo judicium est quod de intelligibili : cui æquè latè patet. Vide Aver. in destr. disp Met. 5. pag. 176. & Suessanum in comment. destr. pag. 181.

17. Et idem sentimus de Ente, ut distinguitur in Ens reale & Ens rationis. Placet enim sententia Fr. Suarez. disp. Metaph. 4. s. 8. n. 4. Proprium subjectum Metaphysicæ non est Ens, ut abstrahit ab Ente reali & rationis, sed Ens reale tantum.

18. Subjectum ex opinione strictius est quintuplex : 1. Deus. 2. Substantia separata. 3. Substantia in communi. 4. Ens creatum. 5. Causa.

19. Non benè : nihil enim horum adæquatè participat subjecti conditiones. Vide Fons. 4. Metaph. c. 1. q. 1.

20. Subjectum adæquatum è rei veritate est Ens quatenus Ens, reale illud. Ens, rem consideratam dicit : quatenus Ens, considerandi modum, ut excludantur alii conceptus, qui non conveniunt per modum Entis. Vide Zab. de nat. scient. const. c. 3.

21. *Itaque Ens quatenus Ens non accipitur hoc loco reduplicative, comprehenderet enim omne Entis genus: sed specificativè, ut denotetur, qua ratione Ens intelligatur esse Metaphysicæ subjectum ab aliis disciplinis diversum.*

22. *Subjectum inadæquatum duplex est: vel primum, vel non primum.*

23. *Subjectum primum est, vel primitate attributionis, vel primitate perfectionis & intentionis. (Nam subiectum primum primitate adæquationis idem est cum subiecto adæquato.)*

24. *Subiectum primum primitate attributionis est, cui secundum prius tribuuntur scientiæ attributa, (si sc. subiectum fuerit analogum, nam si subiectum fuerit univocum locum non habet:) eoque mediante minus principali analogato conveniunt.*

25. *Hoc modo subiectum primum primitate attributionis est Substantia, cui Ens ejusque passiones secundum prius conveniunt, accidenti secundum posterius.*

26. *Primum primitate perfectionis & intentionis est, quod in ea disciplina est præstantius. Hoc modo subjectum primum in Metaph. est Deus: unde respectu ejus Theologia dicitur apud Arist. 6. Metaph. t. c. 2. & 11. Metaph. Sum. 3. c. 1.*

27. *Subiectum non primum dicitur, quod quoque modo in disciplina docetur: quo modo singulæ etiam partes, & affectiones singulæ inter subiecta numerari possunt. Et hæc de subiecto in genere: in specie nunc subiecti Metaphysici natura explicanda.*

COM-

COMMENTARIUS.

Metaphysicæ doctrinam tradituri, quatuor eam partibus absolvemus: subjecto, principiis, affectionibus & divisionibus. Statuendo subjectum Ens quatenus Ens cum Aristot. 4. Metaph. c. 1. Principia tam complexa, cujusmodi est, Impossibile esse idem esse & non esse, & similia; quam incomplexa, non quidem propriè dicta, sed tamen quæ rationem reddere possint insequentium, tradendo. Affectiones tres, cujusmodi communiter sunt unum, bonum, verum, docendo. Et quatuor divisionum genera: 1. secundùm nomen. 2. secundùm affectiones disjunctas, è simplicibus deductas. 3. secundùm modos, tam intrinsecos, quàm extrinsecos. & 4. secundùm quidditates, proponendo.

Quantum ad subjectum attinet, sciendum, quòd subjectum hîc intelligamus, non quod quoquo modo in scientia traditur, ita enim quævis pars Metaphysicam doctrinam integrans pro subjecto haberi posset: sed quod primum est & adæquatum. Triplex enim vulgò subjectum primum ponunt: *Primum* primitate perfectionis, primum primitate attributionis, & primum primitate adæquationis.

Perfectione primum, cujusmodi in Metaphysicis Deus est: juxta quod Aristot. 6. Metaphys. text. 2. Theologiam à perfectissimo subjecto vocat.

Attributione primum, cujusmodi substantia est: secundum quod primò & de se entia substantiæ dicuntur; alia verò, ut sunt verba Arist. 4. Metaph. t. c. 2. quoniam substantiæ passiones, quædam quoniam viæ ad substan-

tiam,, aut corruptiones, aut privationes, aut quantitates, aut effectiva, aut generativa substantiæ.

Primum verò adæquatum subjectum quodnam sit, dubitatur ex eo potissimum, quia nemo, ut puto, interpretum omnium attigit, quid sit hoc, quod Aristot. vocat Ens quatenus Ens. Communiter enim usurpatur pro universalissimo in prædicando, quod de omnibus dicatur, ut de ipso nihil. Quod licet ex parte verum sit, quod nulla reliquarum disciplinarum ascendat ad suprema illa genera, quæ transcendentia vocantur, sed quævis earum sese contineat intra particulares limites, de parte aliqua Entis agendo: universaliter tamen verum non est, eò quòd non tantùm ea, quæ abstracta sunt re & ratione à materia secundum indifferentiam, ut vocant, transcendentia nimirum sed & ea, quæ secundum essentiam sunt abstracta & separata, Metaphysicæ considerationis sunt. Nec enim verum, quod quidam è recentioribus tradunt, esse doctrinam eam, quæ de mentibus & intelligentiis agit, distinctam aliquam disciplinam ab eà, quæ de transcendentibus est. Præterquam enim quòd Arist. utrumque unius abstractionis genus (quod Scholastici re & ratione à materia vocant) in una scientia seu doctrina Metaphysica tractavit, nusquam tradidit, diversum subjectum facere doctrinam de separatis, ab ea quæ est de transcendentibus. Contrarium potiùs docuit, quando à potiori hac disciplinæ parte Theologiam disciplinam tertiam distinctam à Naturali & Mathematica nominavit, quæ nulla alia est, quàm præsens hæc doctrina, in abstractis secundum indifferentiam & se-

& secundum essentiam absoluta. Itaque nos per subjectum Metaphysicæ, quod Aristoteli est Ens quatenus Ens, nihil intelligimus aliud, quam hoc ipsum, in quo idem est Quod esse & Quo esse, seu quorum esse nihil aliud est, quam eorum essentia. Eam enim quando consideramus non cognoscimus aliter, nisi hoc ipso, quo præcisè sunt, hoc est, quà sunt entia; & hoc ipso tam transcendentia, quam separata entia inter se conveniunt. Nam & illa & hæc habent unum simplicem & præcisum entis gradum, quo tantùm sunt hoc, & non aliud. Ut non immeritò Zab. in libr. de ordine intell. c. 14. dixerit Non est secanda Metaphysica in duas partes: quia si ipsam rerum naturam spectemus, quatenus nobis considerandæ & cognoscendæ proponuntur, oportuit de abjunctis à materia per essentiam, & de abjunctis à materia per indifferentiam, non duas esse disciplinas, sed unam & eandem.

E dictis nobis clara erit Metaphysicæ definitio, quæ est. Metaphysica est scientia Entis quatenus Ens est. Scientia: non ut à sapientia contradistinguitur, ac separatum quendam habitum facit ab aliis habitibus intellectualibus diversum: sed prout sumitur pro collectione multorum pertinentium ad notitiam unius, vel multorum determinatum ordinem habentium: ita enim simul & scientia esse potest, & sapientia Metaphysica. Scientia, quatenus in definitionibus, divisionibus & collectionibus rerum ad contemplationem tantùm ordinatarum, versatur. Sapientia verò, quoad universaliter omnium in se notitiam complectitur, & totum quidem, ut sunt maximè difficilia,

nec facilia scitu homini, quoad certa est, ac causas docere & reddere valet, non quæ aliorum gratia eligenda sunt, sed quæ gratia sui ipsius docet: nulli disciplinarum subministrat, sed præcipit, & ut paucis dicam, scientia est capite prædita, scientiarum reliquarum domina & regina, ut hæc attributa sapientiæ apud Aristot. 1. *Metaph.* c. 2. tribuuntur, & *Metaphysicæ* doctrinæ propria statuuntur. Entis verò quatenus Ens scientia esse ex eo dicitur: quia ratio generica communis Metaphysicæ cum disciplinis contemplativis restringenda per subjectum, quod hæc universaliter habet in Ente quatenus Ens est. Ut verò meliùs teneatur quid sit Ens quatenus Ens, sciendum, quòd duo sunt rerum genera: alterum materiale, immateriale alterum. Materiale omne compositum ex pluribus est: corpus enim primò est è materia & forma. Itaque in eo est aliud Esse & Quo esse: est enim, & est per alia, ex quibus est, causas scil. suis, è quibus componitur. Immateriale verò omne simplex est, & ea de causa per seipsum intrinsecè, & non per aliam entitatem, suam habet essentiam: in eo enim consistit ratio essentiæ simplicis, ut idem in eo Quod esse, & Quo esse. Inde ea si quidditativè concipitur, non nisi in pura sua essentia, & ut Ens potest concipi, quia in se præter unam puram & simplicem essentiam habet nihil: eaque entia immaterialia omnia dicuntur à nobis concipi in ratione Entis quatenus Ens est: & alio nomine vocantur re & ratione abstracta à materia. Sunt verò hæc abstracta in duplici differentia posita: Quædam enim transcendentia sunt, quædam v. separata Entia.

Tran-

Transcendentia vocamus prædicata, quæ ad certum genus limitari non possunt, sed ita excedunt cujusque generis latitudinem, ut & in omnibus sint, & per omnia vagentur: quomodo Ens de se nec in substantiæ prædicamento est, nec in quantitate, nec in qualitate, *&c.* sed in quovis prædicamento est, pro rebus subjectis, quibus attribuitur: ita ut Ens Arist. judicio (verba sunt doctissimi Monlorii 1. Priorum cap. 28.) dicatur de substantia, non tanquam significans rationem diversam à ratione substantiæ, sed ita ut significet eandem rationem substantiæ, immo vero propria ratio Entis sit ratio substantiæ: cum autem dicitur de quantitate, significet ipsam rationem quantitatis, & cum dicitur de qualitate, ipsam rationem qualitatis. Idem de cæteris transcendentibus est judicium, Et hæc dicuntur immaterialia seu abstracta à materia secundum indifferentiam: quia etsi eorum natura non repugnet esse in rebus materialibus, in quibus etiam sunt, & à quibus abstrahuntur, de se tamen materiam non involvunt, quia iis non repugnat esse, si vel maxime entia materialia non sunt, dummodo entia separata dentur. Entia vero separata, quæ vocant abstracta secundum essentiam, sunt entia quæ omnem materiam & corpulentiam excludunt, alio nomine Spiritus vocantur. Ac in utroque genere abstractorum propter simplicitatem non nisi Ens quatenus Ens est concipimus: in illis quidem universaliter abstractos ab omnibus inferioribus ultimos conceptus; in his vero unum conceptum proprium maxime simplicem. De quo duplici genere abstractorum inferius fusius agetur. Vide

Aug. Niphum Sueſſ. ad Averr. de ſtruct. diſp. Metaph. 8. pag. 242. Oriuntur verò pro duplici rerum genere duæ Metaphyſicæ partes, quarum altera de tranſcendentibus, altera de ſeparatis entibus agit. Vide de ſubjecto Metaphyſicæ fonſ. 4. Metaphyſ cap. 1 q. 1.

Subjungam hîc duas quæſtiones illuſtrationis gratia: prior eſt, an Metaphyſica ſit diſciplina à diſciplinis aliis, & in ſpecie à Logica diverſa? Altera eſt, an ſit ſcientiarum omnium prima? Quoad 1. Non videtur eſſe neceſſarium multiplicare diſciplinarum numerum, quemadmodum eam opinionem defendit Antonius Mirandul. de everſ. ſing. cert. lib. 13. ſect. 6. & 7. Ratio poteſt reddi ſatis probabilis: Diſtinctio ea pendet vel a rebus, vel à mentis abſtractione: at nec à rebus, nec ab abſtractione mentis, nec poteſt dari alia diſtinctionis cauſa, niſi tantum quoad nos: non ergò diverſæ videntur eſſe conſtituendæ diſciplinæ. At quantum ad res attinet, eæ ſunt in duplici genere: aliæ ſunt ſubordinatæ, aliæ verò inter ſe opponuntur. Ex rerum oppoſitione è ſpecifica differentia diverſitas diſciplinarum non pendet: ſecus pro multitudine generum & ſpecierum oppoſitarum multiplicandæ eſſent diſciplinæ. Subordinata verò quoniam realiter inter ſe non differunt, diſciplinas realiter diverſas conficere non poſſunt. Sed nec ab abſtractione diverſitas ea naſci poteſt: abſtractio enim mentis opus eſt, mens verò res alias atque alias facere non poteſt. Nec ergò diverſitas abſtractionis diſciplinas poteſt facere realiter inter ſe diverſas.

In ſpecie verò P. Ramus Metaphyſicam omnem è medio ſuſtulit, & eandem eam eſſe cum

Logica

Logica judicavit. Rationem potissimùm solent desumere ex universalitate disciplinæ & subjecti, quatenus æque ac Logica circa Ens omne & non Ens versatur & occupatur. Verum quoniam & esse Metaphysicam & non eandem esse cum aliis disciplinis, & in specie à Logica diversam, tum communis Philosophorum consensus docet, tum imprimis Aristotelis in 4. Metaph. t. c. 1. ratio suadet, non docet eam è scientiarum numero proscribere. Verba Aristotelis sunt: Est scientia quædam, quæ speculatur Ens prout Ens est, & quæ ei per se insunt. Hæc autem nulli earum quæ in parte dicuntur, eadem est, nullæ namque cæterarum universaliter de Ente prout Ens est, considerant, sed ejus aliquam partem abscindentes, quod ei accidit speculantur. Argumentum hoc est: scibile in nulla particulari scientia consideratum requirit scientiam à particularibus aliam: patet, scientia enim & scibile habent se relativè, ut uno eorum posito, necessario ponatur & alterum. Et verò Ens quatenus Ens est scibile in nulla particulari scientia consideratum. Patet: Entis enim universalissimè sumpti dantur affectiones & divisiones: Scibile ergò. Sed eæ affectiones & divisiones in nulla particulari scientia traduntur, quia hæ non nisi partem Entis tractandam sibi sumunt, non verò Entis in universum sumpti affectiones & divisiones. Scientia ergo propria quædam Entis quatenus Ens est, seu Enti in universum sumpto assignanda. Hæc nulla alia esse potest à Metaphysica. Erit itaque Metaphysica distincta & diversa ab aliis disciplinis.

Sed ad argumentum, quod antequam solvamus sciendum secundum Thom. opusc. 70.

quod

quod est super Boët. de Trin. q. 5. art. 1. quod quando habitus vel potentiæ secundum objecta distinguuntur, non distinguantur secundum quaslibet differentias objectorum, sed secundum illas, quæ sunt per se objectorum, in quantum sunt objecta: indeque dividuntur scientiæ speculativæ per differentias speculabilium, in quantum sunt speculabilia. Speculabili autem, secundum quod est objectum speculativæ potentiæ, aliquid competit ex parte potentiæ intellectivæ, & aliquid ex parte habitus scientiæ, quo intellectus perficitur. Ex parte quippe intellectus competit ei, ut sit immateriale, quia & ipse intellectus est immaterialis. Ex parte vero scientiæ, ut sit necessarium, & consequenter immobile, quia omne quod movetur, in quantum hujusmodi, potest esse & non esse. Sic igitur speculabili quod est objectum speculativæ scientiæ per se competit separatio & à materia & à motu, vel applicatio ad ea: & ideo secundum ordinem remotionis & à materia & à motu scientiæ speculativæ distinguuntur. Quædam vero speculabilia dependent à materia secundum esse: & hæc distinguuntur, quia quædam dependent à materia secundum esse & intellectum, illa nimirum, in quorum definitione ponitur materia: ejusmodi sunt entia Physica, quæ semper sunt in materia, & definiuntur per materiam; hæc abstrahunt à materia signata seu singulari, & definiuntur per materiam communem. Quædam dependent à materia secundum esse seu existentiam, sed non secundum intellectum, seu definitionem: ejusmodi sunt entia mathematica, quæ existunt in materia, sed in eorum definitionibus non fit mentio

mentio materiæ, unde dicuntur abstrahere à materia sola ratione. Quædam speculabilia non dependent à materia secundum esse, quia sine materia esse possunt. Hæc dicuntur abstrahere à materia, re & ratione: sive nunquam sint in materia, ut Deus & Angeli, quæ dicuntur abstracta secundum essentiam: sive in quibusdam sint in materia, in quibusdam non, ut transcendentia, quæ dicuntur abstracta secundum indifferentiam. Et hæc abstracta à materia, re & ratione constituunt Metaphysicam. Hinc solvitur argumentum: non enim ex abstractione sola, quatenus est mentis operatio, nec ex rebus absolute vel secundum subordinationem vel secundum oppositionem consideratis scientiarum & disciplinarum diversitatem metimur; sed ex diversitate abstractionis & rei, quatenus constituunt diversum speculabile, hoc est, diversitatem secundum esse immateriale & immobile, seu necessarium. Ita enim diversitas abstractionis simul importat diversitatem modi sciendi, & consequenter scientiæ diversitatem. Qua de re vide quæ inferius pluribus diximus cap. 10. comm. n. 26. Et hoc sensu Metaphysica ab aliis disciplinis quia differt, Metaphysicæ est speculari de ente ut ens est; ac quid est, & quæ ei insunt prout ens est 4. Met. t. c. 1. & 6. Met. t. c. 4. Seu prout ens est in universali & non secundum partem 11. Met. c. 3. seu de ente in quantum ens, & de omnibus generibus, donec perveniatur ad subjecta artium particularium Aver. in Paraph. Metaph. tract. 1. vide Averr. epit. 2. poster. cap. 3.

Quantum ad Ramum attinet, dicendum Metaphy-

taphysicam & Logicam in quibusdam convenire, in aliis differre. Convenientia ratione universalitatis est: utraque enim in ambitu suo Ens in universum sumptum complectitur. Sed modus considerandi diversus est: Metaphysica entia universaliter considerat, ita ut ad particularia (saltem materialia) non descendat; indeque in Transcendentibus potissimum occupatur, particularium vero scientiarum objecta non considerat. Logica vero & ipsa universalissimis conceptibus Metaphysicis notiones suas applicat, sed non tantum: quippe quæ in particularium etiam scientiarum objectis definiendis, dividendis, demonstrandis, ordinandis versatur. Itaque Metaphysica tantum universaliter universalissime sumpta considerat: Logica universalia & particularia simul. Altera diversitas in eo est: Metaphysica est realis, Logica notionalis: hæc enim non considerat ens secundum quod ens est, sed secundum quod secundis notionibus substernitur. Illa vero res prout sunt in se speculatur. Et ita Averr. 7. Metaph. t. c. 2. comm. med. dixit: Metaphysicam & Logicam esse scientias affines: cum utraque sint communiter de ente, licet Logica de ente rationis, Metaphysica de ente reali sit. Et ita, v. g. de definitione agit Logicus in 2. post. & pluribus in Topicis: agit etiam Metaphysicus in 7. Metaph. sed differenter tamen, quod de Logico & Mathematico dicit Averr. 7. Metaph. t. c. 42. comm. med. & explicat Antonius Posius de monte Ilicino in Thes. tab. Arist. & Averr. lit. L. ¶. Logicus & Mathematicus: observa, inquit, quod Dialecticus tractat de definitione prout est instrumentum

tum ducens intellectum in cognitionem quidditatum rerum: Mathematicus considerat per accidens gratia quidditatis, quam per se considerat. Et post applicat generaliter ad Metaphysicam & Logicam: Latini, inquit dicerent, quod Metaphysicus doceat definitionem denominatam vel pro substrato: Logicus autem denominantem, & pro formali. Et quando Aristoteles 7. Top. c. 1. dicit: definitio quid sit ostendere, alterius esse negotii, quàm Topici: Posius lit. D. ad hunc locum, observa, inquit, quod Alexander vult, quod ad Metaphysicam pertineat hoc negotium, etiam Averr. 7. divinorum. Et in genere diversitatem annotavit Arist. 4. Metaph. t. c. 5. circa idem, inquit, genus Sophistica & Dialectica versatur cum Philosophia. Verum Philosophia ab hac quidem modo potestatis, ab illa vero electione vitæ differt. Dialectica autem est tentativa, de quibus Philosophia est cognitiva: Sophistica vero apparens existens vero minime. Ad quem locum Averroes comm. med. ita scribit: Commune, inquit, est Logico, Sophistæ, & Metaphysico loqui de ente: differunt vero ad invicem: quoniam Metaphysicus considerat de eo sermone demonstrativo: Logicus vero sermone probabili: Sophista seemone apparente. Hæc pluribus Averroes in comment. Summa: Metaphysicus de ente agit absolute & in se considerato: Logicus relative in ordine ad notiones secundas, quæ ceu instrumenta enti applicantur ad notitiam faciliorem comparandam. Sed hæc attigisse sufficiat; egere de his alii latius.

Quod 2. An Metaphysica sit omnium scientiarum prima? Metaphysicam esse posteriorem

via

via doctrinæ reliquis ſcientiis, ſed priorem ſecundum naturam Averrois effatum eſt 6. Metaph. comm. 3. & 7. Met. comm. 39. Piccol. in introduct. ſcientiæ nat. c. 13. proponit triplicem modum conſiderandarum diſciplinarum ratione ordinis & prioritatis. 1. ratione facilitatis. 2. ratione abſtractionis. 3. ratione dignitatis. Secundum primum modum primam diſciplinarum dicit eſſe Mathematicam: ratione abſtractionis primam eſſe Phyſicam: ratione dignitatis Metaphyſicam.

Videamus quid ſit ſtatuendum. Dubium non eſſe cenſeo, quoad facilitatem priores eſſe diſciplinas eas, quæ ſub ſenſum quadantenus cadunt, iis, quæ à ſenſu omnino abſtrahunt. Hoc enim docuit Ariſtot. 1. poſt. t. c. 12. nobis illa priora & notiora appellando, quæ noſtris ſenſibus magis objecta ſunt. Verba ſunt: Dicuntur priora & notiora duobus modis: Ut enim ſunt alia, quæ ſunt naturæ ordine priora, alia quæ nobis, ita plurimum inter ſe differunt, quæ omnino ac perſe, notiora, & quæ nobis magis nota ſunt. Ac nobis quidem illa priora & notiora appello, quæ noſtris ſenſibus magis objecta ſunt. Simpliciter autem ac per ſe ea, quæ ſunt ab iis remotiora. Evidens vero faciliora eſſe, quæ ſunt notiora ſeu priora quoad nos: faciliora ergo, quæ magis ſenſualia. Talia ea, quæ ſunt & exiſtunt in materia. Non ergo prima quoad nos, ſeu ratione facilitatis Metaphyſica eſt: ſed vel Phyſica vel Mathematica. Qua de re teſtatur Ariſt. qui Metaphyſicæ difficultatem expoſuit. 1. Metaph. t. cap. 8 dicens, quod in iis verſetur, quæ cognitu difficillima ſunt hominibus. Contra de Matheſeos facili-

tate

tate testatur 6. Ethic. c. 8. dicens: puerum fieri Mathematicum posse, sapientem autem ac naturalem non posse. Non itaque ratione facilitatis doctrina prima Metaphysica, sed Mathematica. 2. Metaphysica prima est, si spectetur primitas dignitatis. Hoc sæpissimè dixit Aristoteles, eam omnium scientiarum reginam, Architectonicam, honorabilissimam nominando. Sciendum vero secundum Judocum Isennacensem summ. Log. lib. 3. cap. 2. quod tribus modis una scientia dicitur dignior alia 1. ratione dignitatis objecti, quia circa dignius & nobilius objectum versatur. 2. ratione certitudinis, quia certior est alia. 3. ratione finis: quia nobiliorem & digniorem habet finem, non ordinatum ad ulteriorem, sed sui gratia quæsitum, ita ut cæteris præcipiat, & ad suum finem utatur. Omnes vero hi modi in Metaphysicam cadunt: ratione objecti in divinis versatur: ratione certitudinis in æternis & incorruptibilibus, rebus scilicet divinis: ratione finis, docente Arist. 1. Metaph. t. c. 8. qui propterea eam sapientiam dixit, quod gratia sui ipsius, & propter ipsum scire & non quæ aliorum gratia eligenda sunt, sciat & cognoscat. Hinc Arist. 11. Metaph. cap. 8. Metaphysica, inquit, est optimum scientiarum genus, circa namque honorabilissimum entium est. vide 1. Metaph. t. cap. 11. Dices incertum videri, quod multa confusè tantum, pauca distinctè in ea cognoscamus, multa etiam ignoremus. Hic respondendum, quod multis modis una scientia dicatur esse altera certior: 1. ex firmitate & immutabilitate rerum consideratarum sive objectorum: hoc sensu Metaphysica dicitur esse aliis certior, quia de æternis & sua natura incor-

corruptibilibus agit. 2. ex majore certitudine & evidentia principiorum, ex quibus in illa scientia demonstratur 3. ex hoc, quod pauciores relinquit dubitationes, circa illa, quæ conside- rat. 4. ex hoc, quod facilius potest acquiri. 5. ex modo procedendi vel syllogizandi, quia evidentiorem modum syllogizandi observat. Et hi modi quatuor posteriores in alias etiam possunt cadere scientias, potissimum vero in Mathematicam. Sed primus modus certitudinis Metaphysicæ proprius est. 3. Prima dicitur esse Metaphysica simpliciter secundum naturam, & cognitionem maxime distinctam. Secundum naturam quidem ratione subjecti quoniam enim superiora sunt, natura priora suis inferioribus & vero Metaphysica in universalissimis versatur, eorum respectu prima dicitur esse secundum esse & naturam. Quoad cognitionem vero distinctam observanda est distinctio Pererii 3. Phys. cap. 5. quod perfecta & distincta cognitio sumatur duobus modis: vel absolute & omni ex parte, quæ tunc contingit, cum in re proposita cognita sunt, quæcunque possunt cognosci, & quocunque modo possunt. Vel non simpliciter perfecta, sed tantummodo secundum materiam subjectam, aut secundum eam rationem, quæ tractatur in aliqua scientia, ut dicatur perfecta vel Physice, vel Mathematice, vel Metaphysice, ita ut in tali scientia perfectior cognitio nec requiri debeat, nec possit inveniri. Posteriori sensu Metaphysica opus non est ad distinctam cognitionem acquirendam, sed res unaquæque cognoscitur distincte & perfecte ex propriis principiis ejus scientiæ, in qua tractatur. Priori vero modo Meta-

physica

physicâ opus est, ut res unaquæque ex primis & summis principiis cognoscatur, quæ non nisi in Metaphysica traduntur. Et hoc sensu etiam primam dicimus esse Metaphysicam ad omnimode distinctam & perfectam cognitionem acquirendam. Alias vero in genere, & quidem secundum sensum posteriorem placet mihi sententia Ludovici Buccaferreæ in lect. 1. Phys. Aristot. quando dicit: istum ordinem scientiarum inter se (Metaph. Phys. & Math.) non esse necessarium: non enim esse necessarium unam harum scientiarum prius addiscere, quam aliam, quia sunt scientiæ totales, & quælibet illarum potest addisci sine alia; (intellige juxta cognitionem distinctam & perfectam in certo genere.) Sed ordinem illum esse tantum commoditatis, ut scilicet ex una in aliam facile pervenire possimus. Qua de re fusius egi in meis Physicis lib. 1. n. 2. in comment.

CAPVT. II.

De Ente & Essentia.

SVbjectum Metaphysicæ ponitur vel proprie dictum seu directum, vel improprium seu indirectum.

2. *Directum illud est, quod intellectum per se terminare potest: cujusmodi est Ens quatenus Ens reale.*

3. *Indirectum est quod cognoscitur ex ordine ad subjectum proprie dictum: ejusmodi sunt Entia rationis, & Entia per accidens. Vide Arist. 6. Metaph.*

4. *Ens quatenus Ens consideratur vel in conceptu proprio, vel secundum ea quæ Enti per se insunt.*

5. *Entis*

5. *Entis conceptus proprius est vel actualis vel potentialis.*

6. *Conceptus actualis est, qui tribuitur Enti, ut quodammodo ab inferioribus distincto. Quum enim Ens analogum sit, non dicit naturam plane diversam à suis analogatis, nec ejus ratio sine inferioribus plene cognosci potest: distinguere tamen possumus conceptum ut superioris, & inferioris, quorum illi sine ordine ad contractionem consideratus actualis à nobis dicitur.*

7. *Actualis est vel objectivus, vel formalis.*

8. *Objectivus est res per formalem conceptum repræsentata: & est natura Entis, secundum quam quodque Ens denominatur. Vide Zimaram solut. contrad. Arist. & Averr. 4. Metaph. contrad. 3.*

9. *Ejus consideratur Unitas, & Ratio.*

10. *Unitas Entis describitur 4. Metaph. t. c. 2. his verbis: Ens multipliciter dicitur, verum ad unum, unamque quandam naturam, & non æquivocè.*

11. *Et hinc unitas Entis nec est univoca, quæ ex æquo inferioribus tribuatur, nec pure æquivoca, quæ secundum solum nomen conveniat: sed analoga, ut loquuntur, analogia tamen quadam, quæ sit intrinseca omnibus analogatis.*

12. *Ideoque conceptui formali non respondet conceptus adæquatus objectivus: nam ut conceptus formalis sit unus in intellectu, sufficit unitas secundum prius & posterius, non vero necessaria est una natura huic conceptui adæquata.*

13. *Ratio vero est esse formale ipsius Entis quatenus Ens est.*

14. *Hæc à parte rei non potest esse diversa à princi-*

principali analogato: analogi enim ratio principale analogatum est.

15. *Et hinc adæquata ratio Entis à parte rei in substantia est: in accidente vero est secundum esse diminutum.*

16. *Et ita Essentia ratio una communis omnibus* Entibus *dari nequit: sed ea variat pro varietate* subjectorum, *quibus Essentia tribuitur.*

17. *Conceptus Entis formalis est forma intellectus repræsentativa ipsius objecti intellegibilis: & est in Entis conceptu actuali abstractio ab omnibus suis inferioribus in quibus est.*

18. *Hoc modo concedimus Enti unitatem quandam diversam à suis inferioribus, ad quæ indifferenter sese habet, nihil eorum præcise dicendo.*

19. *Et ratione hujus indifferentiæ fit, ut dicendo Ens, non possimus inferre vel substantiam, vel accidens: alias à parte rei semper inferimus substantiam: nam accidens semper ante se requirit substantiam.*

20. *Et hic conceptus formalis Scoto imposuit ut in* 1. *Sent. d.* 3. *&* 4. *Metap. q.* 1. *Vnivocationem Enti tribueret. Quæ tamen sententia adeo falsa non est: nam secundum hanc præcisionem seu indifferentiam factam ab intellectu concedimus* Enti *univocationem quandam* Transcendentalem, *quæ secundum Pet. de Aquila in* 1. *d.* 3. *q.* 1. *art.* 3. *nihil aliud est, quam quædam indifferentia modi concipiendi, secundum quam conceptus superior non est præcisè aliquid suorum inferiorum. Nam hoc sensu Ens dicitur univocum, non quod sit res aliqua præter Deum & creaturas, verum quia habet conceptum, qui de se nec est conceptus Dei, nec creaturæ ut formaliter*

maliter argumentando inferre non poßim: est Ens, ergo Deus, potest enim eße creatura. Tametsi hoc materialiter sequatur: verum hoc fit, quia, à parte rei, creaturæ secundum prius ante se requirunt Deum.

21. Vnivocationem vero Prædicamentalem ei denegamus: hæc enim requirit unum conceptum à parte rei, qui non nisi generis ad suas species esse potest, hic enti convenire non potest. Ejus rei ratio elegans est apud Averr. in destr. disp. Metaph. 7. pag. 232. quia non habent unam naturam communem, quorum unum est causa alterius nam id quod est causa rei, est prius causato: & impoßibile est, ut sit natura causæ & causati una genere, nisi in causis individualibus. Est enim in iis quæ sunt communia genere nihil primum, quod sit causa aliorum, sed omnia sunt in eodem gradu. Inter ea vero quæ sub ente collocantur, est dependentia, est causalitas, est ratio prioris & posterioris. Vnivocatio ergo eße non potest.

22. Conceptus entis potentialis est conceptus entis secundum quod contrahitur ad sua inferiora.

23. Contractio entis ad sua inferiora non est contractio ut generis ad species per differentias essentiales, quia ejusmodi differentias essentiales non habet cum genus non sit, ut docet Averr. in destr. disp. Met. 3. p. 108. & Augustinus Niphus in comment. destr. pag. 110. Sed est determinatio secundum certum eßendi modum ut quod ens est vel per modum per se subsistentis, vel per modum inhærentis in alio, quia de re subtiliter disputavit Franc. Suar disp. Metaph. 2. Et tantum de proprio entis conceptu.

COM-

COMMENTARIVS.

IN transcendentibus primum quod est Ens non uno usurpatur modo, ut annotavit Th. in Opusc. de Ente & essentia, ex Arist. & Aver. 5. Metaph. t. c. 14. Ens dupliciter dicitur: uno modo quod inquirtur per decem genera; alio modo quod significat propositionum veritatem. Horum autem differentia est, quia secundo modo potest dici *Ens* omne illud, de quo affirmativa propositio formari potest: sed primo modo potest dici *Ens*, nisi quod aliquid in re ponit. Inde Ens priori modo acceptum concretum est essentiæ; posteriori vero concretum entitatis. Latius enim patet entitas quam essentia, essentiam enim non nisi entibus realibus tribuere solemus: entitas vero sua etiam entibus rationis, etiam negationibus, competit, quatenus per copulam *est* cum suo prædicato junguntur, ut non Ens est non *Ens*, sicut docet Gerhardus de Monte ad Thom. de Ent. & essent. tr. 1.

Cum vero, docente Fr. Suarez. disput. *Metaph.* 2. f. 4. n. 5. non possit à nobis commode explicari quid sit essentia, nisi vel in ordine ad effectus, vel passiones rei, vel in ordine ad modum nostrum concipiendi & loquendi, ea de causa Thomas dicto superius loco eam explicare voluit per tria nomina idem secundum rem significantia, quod sit Natura, Forma & Quidditas, ut idem videre est apud Matth. Aquari ad Phys. Ferrar. d. 3. de quidd rer. nat: Prout enim Essentia est operativa, eatenus bene Natura dicitur, ut docet disp. *Metaph.* 19. f. 1. n. 4.

n. 4. Suar. Hoc ſenſu Thomas è Boet. in l. de dua. nat. 3. par. q. 2. ad 1. & quæſtionum diſput. q. 1. de unione verbi art. 1. Naturam definit, unamquamque rem informantem ſpecificam differentiam, quæ ſcilicet complet definitionem ſpeciei: at vero hoc eſſentiæ proprium eſt. Prout vero edit paſſiones, Forma bene dicitur: ad hoc enim ſubjecti principium ut plurimum paſſiones reducere ſolemus utpote à quo per emanationem, ſine motu & conatu ullo, proficiſcuntur. Quanquam etiam formam dicere poſſumus eſſentiam, vel quia in compoſitis à forma principali rei eſſentia pendet, vel ſi ſit forma totius, que totum in abſtracto dicit, iiſdem & forma & eſſentia partibus abſolvitur. Quoad vero noſtrum concipiendi modum ſpectamus, eatenus bene dicitur quidditas. *Eſt* enim quidditas nihil aliud, quam eſſentia per definitionem expreſſa: & ita dicitur, quia definitio rei eſſentiam in quæſtione quid eſt explicat diſtincte. Quando ergo rei definitionem concipimus & proferimus, eadem opera eſſentiam rei proponimus. Itaque eſſentia dicitur, ſecundum quod per eam Ens habet eſſe, ſeu ut ſunt verba Zabarellæ è Themiſtio, quatenus eſt Entis cauſa ut ſit. Quidditas vero quatenus per definitionem explicatur. Natura ut ad operationem ordinatur. Forma denique quatenus conſtans & determinatum eſſe habet, & largitur. Quanquam aliam etiam notare videntur differentiam inter Eſſentiam & Quidditatem: nam Antonius Poſius à monte Ilicino ad Aver. t. c. 34. ubi dicit: Materiam non eſſe partem quidditatis, ſed vehiculum deferens quidditatem, citat Zimaram qui carpat Scotum & Thomam

Thomam (sequutos Avicennam, qui 5. suæ Metaphysices voluit, materiam esse partem quidditatis) quod nescivérint distinguere inter essentiam & quidditatem : esse enim materiam essentiæ partem, non autem quidditatis. Videtur vero ea reprehentio Zimaræ ex ipso Averr. textu esse deprompta: nam is docet, æs esse partem ipsius statuæ, sed non esse partem figuræ ejus, quæ est ipsa forma. Et 3. de anima t. 9. docet quidditatem & esse essentiæ in entibus simplicibus esse idem : in compositis vero differre. In specie vero 7. Metaph. t. c. 21. dicit. quidditas hominis est homo uno modo, & non est homo alio modo : & est forma ho minis, & non etiam homo, qui est congregatus ex materia & forma. Et hoc modo clara est sententia Averr. quod non ab *Essentia*, sed à Quidditate excludat materiam. Vide Zimaram in solut. contrad. Arist. & Averr. super 7. Metaph. contrad. 16. Cajetanus tamen de ente & essen, qu. 4. art. 3. ad Thom. c. 2. aliter explicat textum Arist. d. 7. Metaph. t. c. 34. quando enim Arist dicit, materiam non esse partem quidditatis; is respondet eo loco, Arist. non removere materiam communem à quidditate, sed materiam particularem, & eas partes, quæ per accidens se habent ad speciei intellectum, ut manus & pedes v. g. ab hominis ratione : & has carnes & hæc ossa. Qua de re quid statuendum judicemus, dicemus, quum hanc doctrinam fusius tractandum susceperimus : nunc brevitatis studio rem in medio relinquimus. Vide varios modos *Esse* & Quidditatis, è quibus hæc quæstio facile deciditur apud Aug. Niphum Suess. disp. Metaph. 8. destruct. Averr. pag. 235. & quomodo differant aliquid esse de essentia & de

C quid-

quidditate alicujus Zimaram ſolut. contrad. Ariſt. & Averr. 1. Metaph. contrad. 4.

Ut vero ad eſſentiam revertamur: *hic* eſſentiæ modus variat pro diverſis ſubjectis in quibus eſt: alius enim eſt modus eſſentiæ increatæ, alius eſſentiæ creatæ immaterialis, alius ſubſtantiæ materialis, alius vero accidentium. De eſſentia increata bene dicere poſſumus cum authore libelli de cauſis propoſit. 6. quod cauſa prima, ſuperior ſit omni narratione, & non deficiant linguæ à narratione ejus, niſi propter narrationem eſſe ipſius: quoniam ipſa eſt ſuper omnem cauſam, & non narratur niſi per cauſas ſecundas, quæ illuminatur à lumine cauſæ primæ. In quibus verbis duo præcipuè continentur: alterum quod ſit ſuperior omni narratione: quoniam enim narratio rei ex ejus cauſis eſt, cauſa vero prima eſt ea, in qua ſtatus cauſarum eſt, cauſa ſcilicet ſine cauſa, fit inde, ut cum diſtincta cujuſque rei & accurata cognitio ex ejus cauſſis pendeat, eam quidditative, ut vocant cognoſcere non poſſimus, nec in intimam ejus penetrare eſſentiam. Sola hæc prima cauſſa eſt, quæ & ſuam eſſentiam accuratè habet cognitam, & quæ in ea ſunt exactè comprehendit. Alterum eſt, quod narretur per cauſſas ſecundas, ex eo enim habemus, quod non ignotus & incognitus nobis plane Deus ſit. Quoniam enim cauſſæ ſecundæ illuminantur à lumine cauſſæ primæ, ex ipſius cauſſis ſecundis devenimus aliquatenus in aliquod eſſe cauſæ primæ, juxta participatum illud eſſe, quod à cauſa prima in cauſis ſecundis eſt. Modus vero hujus cognitionis per cauſas ſecundas elegantiſſimis verbis explicatur apud *Scalig* exerc. 365. ſ. 7. Per motum inquit, cognoſcimus ipſum

ipsum Deum, ergo quia non potuimus eum pro motore agnoscere, nisi sit, secundaria intellectione percepimus esse Deum, inde bonitas, incommunicabilitas, unitas, immensitas, æternitas immutabilitas, simplicitas &c. Verum nihil horum puram Dei essentiam attingit: hoc tamen scimus, quod Deitas sit hæc essentia, qua Deus est Deus, & qua Deitas sit formaliter infinita, nec possit ab ulla aliqua repati vel contractionem, vel detrrminationem, nec ab aliquo ulteriori actualitatem aliquam suscipere ut enim est apud Nic. de Orbellis in 1. dist. 5. q. 7. ipsa Deitas per relationem sive proprietatem personalem non determinatur, nec aliquo modo adjuvatur, quia hoc est imperfectionis et potentialitatis in natura creata: Deitas vero cum de se sit hæc, sicut de se habet ultimam unitatem, ita et actualitatem. Est igitur proprietas personalis ita proprius actus personæ, ut tamen non sit actus ipsius naturæ divinæ, aliquo modo perficiens seu informans eam. E quibus clarum, quod essentia Dei sit summæ simplex, h. e. quod nec composita, nec ut ita loquar, componibilis, sed seipsa sit simpliciter, à nullo alio, nec intrinsece, nec extrinsece dependens.

Essentia creata simplex in immaterialitate cum increato convenit: inde est essentia simplex per carentiam cujuslibet compositionis intrinsecæ. Quod vero dicitur esse eam compositam ex actu & potentia, ex esse & essentia, hoc simplicitati nihil derogat: potentia enim ea intrinseca non est, sed extrinseca in ordine ad efficientem. Actus vero denotat ipsam speciem juxta quam hæ intelligentiæ sunt hoc quod sunt. Et compositio ex esse & essentia, realis non est; sed quatenus nos præcise conci-

primus vel quidditatem ſolam, vel quidditatem actu extra cauſſas poſitam, hoc enim eſt Eſſe, Exiſtere ſcilicet; illud vero eſſentia, Eſſe ſc. in certa Entis ſpecie.

Eſſentia vero creata materialis compoſita eſt: itaque complectitur materiam ac formam, ſecus ac ſubſtantia ſeparata, quæ formam tantum. Unde in ea deſignari poteſt totum & pars, ſecus atque fit in ſeparata ſubſtantia, quæ ſtat ſeipſa, nec niſi in ratione totius deſignari poteſt, ac partes, non admittit, è quibus vel componatur, vel in quas reſolvatur. Et hoc dicit Thomas, in ſubſtantiis compoſitis eſſe materiam & formam, non vero poſſe alterum illorum tantum eſſentiam dici: eſt enim eſſentia illud, quod per definitionem rei ſignatur, definitio vero ſubſtantiarum materialium non tantum continet formam, ſed etiam materiam, aliter enim definitiones materiales & Mathematicæ non differrent; qua de re egit Themiſtius in lib. de anima.

Ad accidentis eſſentiam intelligendam ſciendum, quod quadrupliciter poſſit conſiderari accidens; vel concretivè, vel abſtractive, vel effectivè, vel inhæſivè. Concretivè conſideratur quatenus exiſtit, exiſtunt enim accidentia non niſi concreta, & ita facit aliquod eſſe accidentale in ſubjecto. Accidens enim forma eſt, quod ſi ergo in ſubjectum cadat, eſſe accidentale facit. Abſtractivè conſideratur in proprio genere, qua eſt hoc diſtinctum à quovis alio: habet enim accidens eſſentiam, eamque revera diſtinctam à quavis ſubſtantia, vel accidente quovis alio, ac hæc eſt unius cujuſque accidentis quidditas. Effectivè à ſubſtantia eſt, quatenus à ſubſtantia producitur idq; vel à partibus ſub-

ſtantiæ;

ſtantiæ, quomodo quantitas à materia dependet, riſibilitas & aliæ paſſiones propriæ à forma: vel à tota ſubſtantia, quomodo attractio ferri à ſubſtantia tota magnetis eſſe videtur. Inhæſivè vero prout accidentis eſſe eſt ineſſe, naturaliter n. accidens non eſt, niſi inſit in ſubſtantia.

*E*ntia rationis ſi quam habent entitatem, ea ipſa entium realium eſſentiam æmulantur, ut vel ad eorum intentionem fiant, concipiendo Ens intentionis ad modum entis realis, vel ut è compoſitione enaſcantur, concipiendo montem aureum, qui & aurum & montem viderit, hinc per actum comparativum mentis fieri dicuntur Entia rationis, quia mens noſtra ad ſimilitudinem ſpecierum realium *E*ntia rationis format. E dictis quid de Ente & eſſentia ſentiendum, clarum & manifeſtum eſſe poteſt.

Addam his duo; 1. An Enti unus quidam communis conceptus tribui poſſit? 2. An Deus Ens recte dicatur?

Quoad 1. Enti unovocationem tribuit *S*cotus; quam ſententiam non intelligimus de univocatione quadam prædicamentali, ſed de Tranſcendentali, quemadmodum id ipſum è Pet de Aquila in 1. d. 3. q 1. art. 3. cap. hujus theor. 20. ſuperius expoſuimus. Aliàs communior eſt ſententia ens in ordine ad Deum & creaturas & ſubſtantiam & accidens, non deſignare aliquem conceptum univocum diſtinctum à ſuis partibus ſubjectivis; ſed tantum importare unum conceptum communem communitate analogiæ reſpectu decem prædicamentorum, qui dicitur ſecundum prius & poſterius, quod dicit *Z*imara ſolut. contradict. Ariſt. & Aver. contrad. 3. de quo fusè egit Fonſeca 4. *M*etaph. cap. 2. qu. 1. ut propte ea

opus

opus non ſit pluribus hic inquirere: Vide de his analogis eleganter diſſerentem Averr. de ſtruct. diſp. Metaph. 7. pag. 232. & ad eum Auguſt. Niphum Sueſſanum.

Id tantum hoc loco docere viſum eſt, an enti conveniat unus quidam conceptus vel formalis vel objectivus? Sententia noſtra hæc eſt:

Conceptum objectivum à parte rei unum Enti non convenire: unum tamen formalem conceptum tribui poſſe. Ratio effati eſt hæc: Ens dicitur multipliciter, 4. Metaph. t. c. 2. ergo conceptum objectivum à parte rei unum non habet. Quod ſi enim conceptus objectivus, qui eſt à parte rei, unus eſſet, recte ſtatueret Scotus univocationem, quia ſecundum eandem eam rationem, quæ Enti de ſe conſiderato à parte rei conveniret, ſuis inferioribus tribueretur. Vnivocatio enim nihil eſt aliud, quam idem nomen ſecundum eandem rationem & definitionem multis tribui. At vero Ens univocum quid reſpectu inferiorum non eſt: nec ergo à parte rei unitas conceptus objectivi Enti convenire poteſt. Conceptus vero formalis unus concedi poteſt: hic enim eſt à parte intellectus res ſimiliter, & proportionaliter ſe habentes in modum unius concipientis. Quomodo ſapientiam divinam & humanam toto genere inter ſe diverſas ſimiliter ſeu per modum unius concipit & conſiderat. Quod ſi regeras, omni conceptui formali reſpondere aliquem conceptum objectivum: & ita non poſſe ſe aliter habere objectivum & formalem conceptum. Reſpondeo: duobus modis intelligi poſſe conceptui formali reſpondere objectivum: vel adæquate vel inadæquate. Adæquatus conceptus eſt, ut hoc omne cognoſcat intellectus, quod

quod est in rebus: Et hic consistit non nisi cum distincta & perfecta rei cognitione, quando scil. intellectus concipit res prout sunt in seipsis. Hinc id omne quod est in conceptu formali necesse est etiam esse in conceptu objectivo. Inadæquatus enim is est, quando rem quidem non concipio falso, sed hoc ipsum quod vere de re cognosco & intelligo, confuse & imperfecte cognosco, vel secundum modum similitudinis, vel per sua accidentia, vel per suos effectus. Hic conceptus verus quidem est, sed non semper rem concipit prout est in se. Quomodo in sacris Deus nobis cognoscendus proponitur, inadæquate sæpe, ut quod habeat oculos, manus, brachia: quæ quidem de Deo dicuntur, non falso sed per ἀνθρωποπάθειαν: quia Deum homo non potest cognoscere secundum propriam substantiam, sed in modū similitudinis. Hic conceptus inadæquatus aliqua ex parte respondet rei: oculi enim Deo tribuuntur, non ratione organi, sed ratione effectus, quia omnia habet præsentia sibi & coram intuetur: manus & brachia habet ratione potentiæ. Sed non in totum respondet rei prout est in se, verum prout à nobis secundum quandam similitudinem concipitur. Ita ergo potest esse conceptus formalis, quia aliquid conceptus objectivi ipsi respondet: sed non in totum adæquatur; quia non concipit omne, quod est in re, nec simpliciter secundum eundem modū quo est in re, ut propterea ab unitate conceptus formalis ex unitate similitudinis cujusdam nota, ad unitatem conceptus objectivi à parte rei recte argumentari non possimus.

Quoad 2. An Deus Ens recte dicatur: Ratio dubitandi est, quia Ens est quid concretum:

con-

concretum vero omne cum quadam compositione videtur esse conjunctum. Sed Deus est naturæ simplicissimæ. Ens itaque dici non poterit. Et hinc authores quidam Deum essentiam potius quam ens dicere voluerunt. Et Deum esse quidem, sed non esse ens disputavit P. Scalichius Satyræ Phil. c. 10. Hinc. Sc. x. 65. s. 6. disputat, non recte extorsisse usum, ut sic (intellige concretive, quod sit omnipotens, omnisciens, misericors, pius, de Deo justus, &c.) loqueremur. Quare inquit, neq; ens est, sed essentia: neque bonus sed bonitas: neque sapiens, sed sapientia; neque omnipotens, sed omnipotentia. Quæ ita in ipso sunt, ut sint ipsum. Ita ille. Verum cum Scriptura passim concretivis ejusmodi locutionib. utatur, cur nos à Scripturæ phrasi, Spiritu Sancto sapientiores sc. abhorreamus? Ita in Apocalypsi, ne adducam alios locos innumeros, scriptum cap. 1. v. 4. & 8. ὁ ὢν καὶ ὁ ἦν καὶ ὁ ἐρχόμενος, ὁ παντοκράτωρ. Et ne de Christo hæc dicta quis excipiat, Dominus ad Moysen ait: Ego sum, qui sum; ubi vox Qui concretivum quid designat; & extant concretivæ magno numero Exod. 34. v. 6. & 7. ut hinc facile intelligamus concretivas voces Deo non repugnare; Nec enim concretum semper infert compositionem à parte rei, sed quandoque tantum compositum significandi modum quoad nos; & hoc modo simul stant dicere esse quid concretum, inadæquato conceptu & significandi modo quoad nos, & actu simplicissimum. Necessariæ vero concretivæ locutiones sunt in modis loquendi de Deo; non enim usitata apud Theologos est hæc in abstracto, Deitas generat; sed hæc; Deus generat. Nec usitata hæc; Deitas est Pater; vel hæc; Pater

ter est Deitas. Sed hæc; Pater est Deus. Nihil vero impedit, sive dicam, Deum concretivè dici, vel aliquid de Deo concretivè dici: quod si compositio infertur, utrinque inferenda: sin dicam concretivam locutionem à parte subjecti non inferre compositionem, dicam nec inferri necessario à parte prædicati: eo quod de ratione concreti non est componere, secus enim omnis concretiva locutio compositionẽ importaret. Quod de concretorum compositione diximus egregiè annotavit Gerh de monte ad Tho. de ente & eff. in proœm. Concreta, inquit, differenter sunt compositiora ipsis abstractis, quãdoque enim solùm sunt compositiora secundùm nostrum modum concipiendi, sicut Deus dicitur compositior deitate. Quandoque etiam ex natura ipsius rei, & hoc gradatim: quia in separatis Angelus respectu angelitatis, & color respectu coloreitatis, non concernunt compositionem tantæ diversitatis, sicut humanitas respectu hominis, & album respectu albedinis.

CAPUT III.

De Principiis Metaphysicæ.

EA quæ Enti per se insunt, sunt vel pincipia, vel affectiones, vel primæ Entis divisiones.

2. *Principia Metaphysicæ sunt principia per se nota, quibus passiones Entis demonstrantur.*

3. *Hæc sunt duplicis generis: incomplexa alia, alia complexa.*

4. *Principia incomplexa duplici ratione intelligi possunt: vel ut propriæ dictæ causæ, vel ut rationes inferentes.*

5. *Principia ut propriæ dictæ causæ sunt principia ordinata ad producendos effectus rei*

diversos, quomodo anima rationalis dicitur (secundum Th.) causa risibilitatis.

6. *Et hoc modo principia in Metaphysicis dari nulla possunt: Ens enim non potest esse re diversum à quoquam eorum, quæ Entia esse denominantur.*

7. *Principia ut rationes inferentes dicuntur principia, secundùm quæ inferri potest conceptus posterior à priori quodammodo originem ducens: quomodo ex infinitate infertur omnipræsentia Dei.*

8. *Ejusmodi principia in Metaphysicis sunt duplicis generis: vel enim sumuntur è ratione ipsius Entis, vel è ratione passionis ad passionem.*

9. *E ratione Entis desumitur genus principiorum quatenus ens concipitur, ut in signo seu momento primo, passiones verò in signo seu momento secundo, momentum verò primum est quodammodo ratio momenti secundi: & ita unum supponit rationem entis. Hoc modo definitio entis siqua daretur, esset medium demonstrandarum passionum.*

10. *Principia verò desumpta è ratione passionis ad passionem oriuntur ex ordine passionum ad invicem; est enim inter passiones quædam prior, & quædam posterior, prior verò ratio posterioris est: & ita Ens ut sit bonum, requirit veritatem.*

11. *Principia complexa dicuntur principia conferentia cognitionem, non essentiam.*

12. *Ea sunt vel prima, vel à primis dependentia.*

13. *Primum principium consideratur vel ex opinione, vel è rei veritate.*

14. *Ex opinione ponitur vel identicum, vel affirmativum.*

15. *Iden-*

15. *Identicum est, quod ponit Antonius Andreæ; Omne Ens est Ens.*

16. *Hoc principium primum esse non potest: quia identica non potest sumi ut demonstrationis medium: doctrinalis enim non est.*

17. *Affirmativum est, quod ponunt: Necesse est qualibet esse, vel non esse.*

18. *Hoc primum non est: notior enim contradictoris repugnantia, quàm immedietas.*

19. *Principium primum è rei veritate est, quod ponit Aristoteles: Impossibile est idem esse & non esse.*

20. *Est enim certissimum, notissimum, nec ex suppositione est: quæ tria ad primum principium requirit Arist. 4. Metaph. t. c. 8.*

21. *Complectitur verò duo: Repugnantiam, et Immedietatem.*

22. *Repugnantia significatur per modum: Impossibile. Immediatio verò per divisionem Entis à non Ente.*

23. *A primo dependent omnia alia principia: quia omnium aliorum veritas ab hoc dependet.*

24. *Hinc virtute hoc principium omnes particulares etiam demonstrationes ingreditur, earumque veritatem juvat. Et tantum de primis principiis.*

COMMENTARIVS.

DUo principiorum genera à Philosophis ponuntur: Incomplexa & Complexa. Illa alio nomine vocantur principia essendi, eò quod non tantùm illationem rei faciunt, ut à nobis cognosci res possit, sed & essentiam ejus constituunt, producendo eam in esse. Complexa aliàs cognoscendi principia dicuntur:

tur: & in eo à principiis essendi differunt, quod ea & essentiam & rei illationem ponunt: hæc illationem tantùm, non etiam essentiam, itaque cognoscere tantùm faciunt. Utrumque principiorum genus in Metaphysicis locum habet, complexum & incomplexum. Ac complexum quidem ponitur primùm ab Aristot. 4. Metaph. t 9. quod idem simul Inesse & non Inesse, eidem & secundùm idem impossibile est. In quo principio duo apprime notanda sunt: alterum est repugnantia, alterum vero immediatio Illa in hoc est Impossibile: hæc vero in his, non posse aliquid simul inesse & non inesse. Quorum posterius commune habet cum alio quodam principio, quod Javellus ponit: necesse est idem esse vel non esse: prius ut proprium sibi vendicat. Dicitur autem primum esse hoc principium duplici de causa: altera est, quia est è terminis universalissimis primis, altera vero quæ hinc sequitur, quia tanta est ejus potestas pro terminorum universalitate, ut virtute in omnes omnino demonstrationes ingrediatur. Unde & participat tres illas conditiones, quæ ab Arist. primo principio assignantur: quarum prima est, quod circa ipsum non contingat errare. 2. quod non sit ex hypothesi sumptum. Tertia, qnod per demonstrationem non acquisitum. Primum quidem, quia notissimum est ratione terminorum: ut enim est apud subtilis. Duns in 1. dist. 3. ¶. quantum ad secundum articulum ut in multis; Certitudo principiorum inde est, quod termini principiorum per se notorum talem habent identitatem, ut alter evidenter alterum necessario includat, vel (quod nos addimus) alterum necessario removeat, & ideo intellectus componens illos

illos terminos, ex quo apprehendit eos, habet apud se necessariam causam conformitatis illius actus ad ipsos terminos, quorum est compositio: unde sequitur evidentia, quæ veritatem notam compositionis terminorum subinfert. Quoniam ergo, ut Thomæ sententia est, ex omnibus terminis primo se offert intellectui notio Entis, primo de se apprehenditur & cognoscitur Ens, removetur verò non Ens: unde evidentia & veritas ex cognitione utriusque termini, & remotione à se invicem oritur. Cùm ergo evidentissimum & notissimum hoc principium sit, sequitur, quod circa ipsum errare non contingat. Non vero ex hypothesi est: ut enim est apud Arist. 1. Post. t. c. 13. principiorum demonstrationis tria sunt genera, Dignitates, Positiones, & Petitiones: & sunt dignitates ejus naturæ, ut necesse sit omnes homines, qui discere quicquam velint, notitiam & informationem earum impressam, & ante captam habere sine doctrina. Positiones vero, quanquam demonstratione aliqua stabiliri non possunt, non tamen necessario à discente præsciuntur, sed accipiendæ à docente sunt. Petitiones vero, nec veritatis notæ de se sunt, nec à docente acceptæ illico manifestæ, sed quæ melioris doctrinæ gratiâ supponuntur: unde & petitiones dicuntur quasi petantur ut eis fides adhibeatur. Posterius genus duplex pro primo principio haberi non potest, quoniam eorum veritas non esset notissima, sed ex hypothesi sumpta docens. Itaque inprimo principiorum genere, quæ dignitates vocantur, principium notissimum sit, oportet, ita enim vocantur, quæ de se digna sunt, quæ fidem mereantur. Ejusmodi principium habemus hoc. Impossibile est, &c. non enim

enim tantùm diſputationis gratiâ, vel ex conditione aſſumitur, ſed quia eſt notiſſimum omnibus, & apparet fidem ipſum mereri & dignitatem, & omnes propoſitiones ad hanc primam reduci. Per demonſtrationem verò innoteſcere non poteſt: aut enim per directam: at non ſunt priores termini, è quibus deſumatur ejus concludendi medium: aut per deductionem ad impoſſibile, at primum impoſſibile in primis terminis hac propoſitione concluditur. Inde itaq; in omnibus demonſtrationibus principium hoc virtute includitur; demonſtrationem v. ipſum admittit nullam.

Incomplexa principia in duplici differentia ſunt poſita: quædam enim ſunt cauſæ ſuarum affectionum propriæ dictæ, ideoque re differunt ab iis, quorum principia eſſe dicuntur: ita interpoſitio, verbi gratiâ, eſt cauſa re ab Eclypſi diſtincta. Quædam verò re non diſtinguuntur, ſed tamen ſunt rationes antecedentes, quibus ipſis ad conſequentium notitiam devenire poſſumus: quo pacto Deitas eſt principium infinitatis, infinitas omnipræſentiæ ratio eſt, quia hæc illa principia ſupponunt. Primum principiorum genus in res Metaphyſicas generaliter cadere non poteſt: affectiones enim *Metaphyſicæ* nec inter ſe, nec ab Ente re diſtinguuntur. Benè tamen poſterius: Ens enim primum eſt ad omnes affectiones, à quo affectiones ordine quodam fluunt, ita ut poſterior ſpecies priorem ſupponat, omnes verò ad ipſum Ens reducantur, & ita tam inter ſe à ſe mutuò, quam ab ipſo Ente cognitionem & rationem habeant; & ita incomplexorum principiorum ratio in *Metaphyſicis* habetur.

CAPUT

CAPUT IV.

De passionibus seu affectionibus Entis in genere.

Affectiones Entis sunt attributa Entis cum ente convertibilia, in eo contenta unitivè quasi inferiora: ideoque eadem cum ente, & nonnisi formaliter ab eo distincta.

2 *Hoc enim proprium unitivè contentorum est: esse unum re, distingui verò formaliter.*

3. *Ea verò habitudo harum affectionum est, ut de Ente non dicantur in Quid; sed sint cum ente immediatè connexa: & tametsi aliquantò deficiant à vera ratione affectionum de subjecto mediante causa demonstrabilium, easdem tamen vices proportione quadam sustineant, quas sustinerent, si proprietates propriè dictæ essent.*

4. *Affectiones Entis sunt vel simplices vel disjunctæ. Scotus in 1. d. 8. q. 2.*

5. *Affectiones simplices sunt, quæ singulæ cum Ente reciprocantur.*

6. *Hujusmodi sunt tres: Unum, Bonum, Verum.*

7. *Falsò enim numerantur inter affectiones: Res & Aliquid.*

8. *Nam Res enti est synonymum, & easdem cum eo habet ambiguitates apud Scotum, quod l. 3. art. 1. ubi tripliciter accipitur: 1. communissimè, ut distinguitur contra nihil, & entia rationis complectitur, quæ etiam res rationis dicuntur. 2. communiter, ut distinguitur contra modum rei. 3. strictissime, ut sit ens, cui primò convenit esse, ut substantia. Et hac ratione, quia à parte rei non habet conceptum ab ente diversum, affectio ejus esse non potest.*

9. *Aliquid verò tripliciter interpretatur: 1. vel enim dicunt aliquid esse, quod distingui-*

tur

tur contra nihil, & ita ab ente diversum non est. 2. vel aliquid dicunt esse, Aliud quid, & ita cum Diverso idem est, & ad disiunctas affectiones refertur. 3. vel denotat aliquod ens in particulari, & ita è numero Transcendentium excluditur. Vide Monlorium de Univer. c. 7.

10. *Affectiones disiunctæ dicuntur, quæ non singulæ cum ente reciprocantur, sed cum disiunctione quadam, ut: omne Ens vel est actu vel potentiâ.*

11. *Hæ dicuntur ab aliis non malè divisiones Entis juxta passiones, & modos Entis. Consti Sarnamus.*

12. *Ex considerantur vel Conjunctim, vel Disjunctim.*

13. *Conjunctim consideratæ quia universam Entis latitudinem exhauriunt, ut nullum ens in particulari sit, quin sub alterutro membro comprehendatur, non immeritò inter Transcendentia numerantur.*

14. *Disjunctim verò consideratæ non exhauriunt universam latitudinem entis, nec cum ente reciprocantur: sed tamen & hoc modo, quia ens ad certum genus Categoriæ non determinant, Transcendentia vocari possunt.*

15. *Hæc de affectionibus in genere diximus: de iisdem in specie nunc erit agendum.*

COMMENTARIUS.

Etsi in scientiis tria necessariò spectamus juxta Arist. 1. Post. t. 56. Subjectum, principia, & passiones: ad passiones tamen potissimùm attendimus, utpote quas de subjecto suo demonstrare proprium munus scientiæ est. Passiones verò seu affectiones vocamus habitudines à posteriori convenientes alicui naturæ per

rationem

rationem propriam, & non per rationem communem. Alio nomine proprietates eas dicimus. Sunt vero eæ in duplici differentia constitutæ: quædam enim proprietates dicuntur, & quidem proprie, quæ perficiunt essentiam in esse secundo, quasi qualitates; ideoque extra rationem subjecti sui dicuntur: iisque competunt quatuor eæ conditiones quæ à Fran. Suarez disp. Metaph. 3. sect. 1. nu. 1. ponuntur: 1 ut sint aliqua res. 2. ut distinguantur saltem è natura rei. 3. ut adæquate conveniant. 4. & subjectum in intrinseca essendi ratione non includant. Quædam vero & quidem improprie, eo quod sunt contenta in aliquo unitive quasi inferiora, nec sunt res aliæ ab alio continente; ideoque non dicuntur esse extra rationem subjecti, sed id ipsum in sua essendi ratione includunt: affectiones tamen dicuntur, quoniam ad eorum modum concipiuntur & explicantur, quod fit, quoniam non sunt de essentia rei in primo naturæ momento consideratæ, sed sunt ipsa essentia, exerens sese ad momentum secundum. Quomodo voluntas & intellectus animæ potestates, passiones ejusdem dicuntur, non quod dicant quid ab ipsa anima diversum, sunt enim perfectiones intrinsecæ in essentia præ supposita omni qualitati & quantitati, & ad genus qualitatis non pertinent, juxta Scotum in 1. distinct. 26. & Nicol de Orbell in distinct. 8. quæst. 4. sed quoniam per modum passionis animæ tribuuntur.

Prius passionis genus circa Ens locum habere non potest: tum quia ens est de essentia cujuslibet, tū vero quia in quid de quolibet prædicatur: cum passio proprie dicta essentialiter à subjecto differat, & non nisi denominative de subjecto prædicetur, subjectum vero de passione non nisi

per

per accidens. Posterius tamen passionis genus in Ens cadere subrilissime probavit Jo Duns in 2. d. 15. q. 2. ¶. Sed quia hæc via. Adscribam verba ejus: quæcunque, inquit, habent aliquem ordinem inter se, ubi sunt distincta realiter, eundem habent ordinem, ubi sunt unitive contenta. Si ergo unum, verum, bonum essent realiter distincta ab Ente, essent passiones entis: sequitur etiam quod unitive contenta in Ente habent eundem ordinem ad Ens, scilicet quod sint passiones Entis.

Dices: Proprietates & affectiones subjecto solent addere aliquam novam perfectionem in subjecto non contentam. Ratio est: natura enim nihil agit frustra: affectiones ergo quando subjecto confert, eas confert, quæ in subjecto jam ante non sint: Secus enim frustra eas adderet. At vero Enti nihil potest superaddi: eo quod Ens in se potentia & virtute continet omnia: & in omnium rerum conceptibus ponitur, ut propterea nihil inveniri possit, in cujus esse non ingrediatur. Non itaque videntur affectiones ullæ Enti convenire. Respondendum. Duobus modis dici posse aliquid alteri superaddi: vel enim aliquid alteri superadditur, ut res aliqua, quæ novam quandam perfectionem subjecto superaddat, quæ in ipso subjecto non contineatur. Quomodo eruditio, scientia & alii habitus novam quandam perfectionem subjecto suo superaddunt, quæ in eo subjecto de se non sit. Et hoc modo Enti nihil novi superaddi potest, eo quod extra Ens nihil omnino est, quod ipsi accedere & adveniri possit. Alio modo potest dici aliquid superaddi, ut hoc quod eminenter & potestate quadam in aliquo confuse continetur, magis distincte evolvatur & explicetur. Quomodo in

divinis

divinis omnia ſunt unum quid ſimplex, & idem cum eſſentia: nihilominus attributa multa Deo tribuuntur quæ formaliter quidem in Deo multa non ſunt, nihilominus quia eminenter ea Deo conveniunt, quando diſtincte Dei eſſentiam conſideramus, dicimus eam eſſe infinitam, Deum eſſe infinitum, bonum, omnipotentem, &c. Et hoc modo ſtatuimus omnia in Ente confuſe quadantenus, vel ut rectius dicam eminenter contineri, quæ ſi ſingula diſtincte & explicate in Ente conſiderentur, poſſint quadam ratione dici Enti ſuperaddi, ut conceptum non eſſentialiter, ſed formaliter diverſum.

Has Affectiones alii duplices faciunt, ſimplices alias, alias vero disjunctas. Et ſimplices dicunt, quæ ſingula cum Ente reciprocantur. Ac ſimplices numerant unum, bonum, verum, res, aliquid. Disjunctas vero omnes Entis diviſiones, præter eam quæ eſt in decem rerum genera, ut ſunt: actus, potentia; idem, diverſum; univerſale ſingulare &c. Et omnino verum eſt, quod utrumque genus tranſcendentalem naturam participet, illud quidem ſine disjunctione, hoc vero cum disjunctione: illud enim fertur ſupra omne ens, quatenus quælibet harum affectionum pro quolibet ente poſſibili ſupponere poteſt: hoc vero, quatenus alterutrum disjunctorum membrum neceſſario in omne ens poſſibile cadit. Poſterius tamen genus commodius ad entis diviſiones, quam affectiones deduci poſſe videtur, ut ſcilicet dicamus eſſe eas diviſiones, vel ex affectionibus primi generis, vel ex modis entis deductas.

Ad prius vero affectionum genus quantum attinet, cenſemus in affectionibus tantum priora tria tranſcendentia eſſe numeranda, unum,

bonum,

bonum, verum: hęc enim dicunt aliquid ab ipſo ente vel ratione, vel (ut eſt Scoti ſententia) è natura rei diverſum. Res vero & aliquid nihil ab ente vel re, vel ratione diſtinctum inferre ſtatuimus: dicunt enim hæc ipſa vel aliquid cum ente ſynonymum, quod de nomine Res certum eſt; de Aliquid vero dicimus, quod vel cum Ente, vel cum diverſo idem ſit. Quod enim quidam dicunt, Rem ratam quandam & certam propriamque eſſentiam denotare, tantum abeſt, ut eam ob cauſam quid ab ente diverſum dicamus, ut vel idem eſſe maxime hinc colligamus. Ponuntur ſiquidem Entis affectiones non prout ens indifferens eſt ad ens reale, & ens rationis, ſed tantum prout certam quandam & ratam eſſentiam habet, quod non niſi in ens reale cadere poteſt. Ac ita ſtatuendum, quod Ens & Res ſimpliciter identificantur. Aliquid vero duobus modis accipiunt: vel ut eſt aliqua res, ſeu aliquod ens, ac ita non infert entis paſſionem, ſed entis particularitatem: vel ut eſt aliquid, ut aliud quid, ac ita diverſitatem denotat ab alio, quatenus ſcilicet eſt res ab alia diſtincta. Ac ne hoc quidem modo cum ente recurrere poteſt, ſed idem eſt, quod ab alio diverſum, & ita alteram entis diviſionem conſtituit in Idem & Diverſum. E dictis ergo clarum eſt, quod tantum tres entis affectiones merito ponamus.

Ac quia apud paucos reperitur, quid ſit in aliquo unitive contineri, apponam id ipſum huc in fine hujus capitis, prout hoc traduxit Scotus è Dyonyſio 5. cap. de div. nom. Continentia ergo unitiva tria requirit: 1. ut unitive contenta non ſint idem ſimpliciter: cum enim inter ea, quæ ſunt idem ſimpliciter, unio nulla intercedere poſſit, nec inter unitive contenta numerari

numerari possunt. Dicimus v. idem simpliciter, quod ita sibi ipsimet idem, ut nullam pluralitatem à parte rei admittat: cujusmodi est unitas seu identitas simplicitatis, & identitas formalis ea, de qua disserit Scotus in 1, de ¶. sed hic restat ulterior difficultas. 2. Ut ne sint separata. Quum n. continentia non sit separatorum, sed unitorum, inter ea continentia unitiva non erit, quæ realiter manent separata. Intelliguntur vero hic non ea tantum, quæ sunt separata actu, sed & quæ sunt invicem separabilia, cujusmodi sunt ea fere, quæ realiter distinguuntur, nisi quid impediat. 3. Sed unitive contenta sint idem identitate reali, distincta tamen formaliter. Ea v. dicuntur idem identitate reali, quæ non possunt ita in re separari, ut unum sine alio existat. Formaliter vero distinguuntur, quorum est alietas formæ objectivæ, hoc est, quorum conceptus sunt diversi, qui tamen sese mutuo non excludant. Ea v. unitive contenta sunt in duplici differentia: quædam enim sunt in aliquo contenta q. superiora, quædam v. contenta in aliquo q. inferiora. Contenta ut superiora dicuntur ea, quæ sunt de natura & definitione continentis: ita in subordinatis superiora & inferiora sunt unitive contenta, ut corpus, animal, homo. Contenta quasi inferiora sunt, quasi passiones & proprietates ita conjuncta cum continente, ut ab eo non sint diversæ naturæ: ita sunt intellectus & voluntas respectu animæ rationalis, & unum, bonum, verum, respectu Entis. Et hæc de sententia Scoti ita disseruimus.

CA-

CAPUT V.

De Vno.

AFfectionum entis prima est Vnum.

2. Vnum est privatio divisibilitatis in se, communicabilitatis in alio.

3. Vnum consideratur vel in se, vel in ordine ad multitudinem.

4. Vnum in se consideratur, vel in genere, vel quoad gradus.

5. Vnum in genere consideratur in natura, & proprietatibus.

6. Natura unius consideratur, vel ut totalis, vel ut radicalis & præcisa.

7. Natura unius totalis, includit duos conceptus: conceptum scilicet subjecti, & conceptum proprium, secundum quem hæc affectio ab aliis distinguitur.

8. Conceptus unius ratione subjecti est conceptus Entis: hic conceptus est intrinsecus omnibus affectionibus, excluso enim hoc conceptu, ne esset quidem Vnum, nedum affectio esse posit.

9. Conceptus vero huic affectioni proprius est, quem præcisum & radicalem secundo loco dicebamus.

10. Is concipitur vel quoad nos, vel quoad rem.

11. Quoad nos concipitur per modum privationis: hinc in definitione dicitur, quod Vnum sit privatio, non quod ita sit, sed quod ita à nobis concipiatur.

12. Quoad rem placet mihi sententia Avicennæ, ponentis conceptum Vnius distinctum formaliter ab ipso Ente, & eum positivum, 3. Met. suæ cap. 3. & ex eo Scotus in 4. Met. quæst. 2. ¶. quoniam ad primum: & refert hanc sententiam

Anto-

Antonius Posius de monte Illrcino.

13. *Ratio ejus rei: privatio nullam perfectionem ponit: unitas ponit, quia in quolibet perfectius est esse ipsam, quam non ipsam: & signum ejus rei est, quod omnis divisio, cum reducatur ad unitatem, de se imperfectionem denotet, perfectionem vero quærat ex reductione ad unum. Vide Scotum l. cit.*

14. *Et hanc doctrinam eleganter complexus est, Scalig. exercitat.* 65. *ʃ.* 5. *docens: Henricum privatione explicaſse unitatis quidditatem ob defectum verborum. Eſse enim unitatem quid positivum: ab hoc positivo oriri indivisibilitatem, hinc incommunicabilitatem: & quæ alia eo loco elegantiſsime docentur.*

15. *Proprietates unius sunt: Reciprocatio, & distinctio.*

16. *Reciprocatio est, quod de quocunque eorum dicitur, de eodem dicitur alterum: omne enim Ens est Vnum, & omne Vnum est Ens.*

17. *Distinctio est conceptus præcisus Vnius ab ente, non includens præcise entitatem: ea distinctio non est pure conceptus rationis, sed ea quæ dicitur è natura rei formalis. Nam formalitas Entis non est præcise formalitas unius: ita enim essent Idem simpliciter. Impoſsibile: idem enim sibi ipsi simpliciter non potest esse & subjectum, & affectio.*

18. *Gradus unitatis considerantur secundum diversos divisionis & indivisibilitatis modos.*

19. *Vnum ergo quoddam est & indivisum & indivisibile, quoddam indivisum, sed divisibile.*

20. *Illud dicimus, quod ob maximam sui simplicitatem partes non admittit.*

21. *Et est vel summe simplex, vel simpliciter*

citer

citur simplex. Vide Nicol. de Orbell. in 1. *dist.* 8. *q.* 1.

22. *Summe simplex illud dicimus, quod nec est compositum, nec compositionem ingreditur, ut Deus, hanc dicimus Vnitatem simplicis.*

23. *Simpliciter simplex illud dicitur, quod non est resolubile in alia, tametsi cum alio possit compositionem ingredi.*

24. *Estque duplex: vel secundum modum abstractionis, vel secundum modum designationis in composito.*

25. *Simpliciter simplex secundum modum abstractionis, quod habet maximam abstractionem, ut ulterius abstrahi non possit, quia est precise ipsum: cujusmodi abstractæ ultimata, (ut vocant) sunt ultimæ differentiæ, ut est apud Scotum in* 3. *dist.* 22. *quæst. unic.* ¶. *primum cum dicitur & in* 1. *d.* 5. *q.* 1. ¶. *hæc quoniam ad realitatem, & ex eo apud Nic. de Orbel. ibid. Hanc unitatem Scotus vocat unitatem formalem, Vnitatem formalem stricte accipiendo in* 1. *d.* 3. ¶. *Sed hic restat ulterior difficultas.*

26. *Simpliciter simplex secundum modum designationis in composito est, quod in nullas sui partes divisibile, in quavis quantitatis parte designari potest: ejusmodi est unitas puncti.*

27. *Vnum indivisum, sed divisibile est, cujus unitas non excludit sui partes.*

28. *Estque duplex: Vnum per se, & Vnum per accidens.*

29. *Vnum per se illud dicimus, quod habet per se talem formam, qua est ens per se, ut describitur à Scoto in* 2. *dist.* 12. *quæst.* 1. *sect. dico igitur.*

30. *Estque vel unum numero, vel universale. Averr. tract.* 3. *Sum. Mera. p.* 387. *B.*

31.

31. *Vnum numero est vel positive, vel negative, ex Averr. 12. Met. t. c. 14. Zimara in sol. contr. Aver. 1. Ph. contr. 30.*

32. *Vnum numero positive, quod est Vnum per positionem proprietatis seu differentiæ numericæ, ut Plato; quemadmodum describit Cajetanus de Ente & essen. cap. 3.*

33. *Estque vel continuum, vel individuum singulare.*

34. *Continuum vero dicimus, cujus termini per contactum unum quiddam fiunt, & se continuant. Arist. 11. Metaph. cap. ult. hoc enim non per suam materiam, sed per suam formam seu differentiam numericam esse continuum, docet Aver. 1. de anima t. c. 90.*

35. *Individuum vero singulare est, quod ex proprietatibus consistit hujusmodi, quarum collectio nunquam in alio eadem erit, Porphyr. in Isag. c. 2.*

36. *Vnum numero negative, quod universale cum non sit, est non plura numero: hoc est, quod non includit differentiam propriam, unde habeat numerum, sed seipso est determinatum ad esse singulare, ut materia prima.*

37. *Vnum per se Vniversale est Vnivocum, vel Analogum.*

38. *Vnivocum est, quod pluribus ex æquo est commune, hanc Thomistæ vocant Vnitatem formalem large acceptam. Vide Martinum Pollichium 1. de anima, q. 2. not. 2.*

39. *Estque vel unum genere, vel unum specie.*

40. *Vnum genere sunt, quorum unum est genus subjectum differentiis, Arist. 5. Metaph. t. c. 10. seu, quorum est eadem prædicationis figura. t. c. 12.*

41. *Et unum genere vel proximo vel remoto.*

Averr. 5. Metaph. 1. cap. 10. Proximum genus est, quod immediate speciei convenit. Remotum quod mediate.

42. *Unum specie sunt, quorum essentia & definitio est una.*

43. *Unum secundum analogiam est, quod multis non ex æquo, sed secundum prius & posterius attributione convenit. Et est unum vel secundum relationem multorum ad unum, ut sanum in urina, medicina, cibo reducitur ad sanum formaliter quod est in animali: vel secundum relationem multorum inter se, quomodo unum sunt verbi gratia substantia & accidens in Ente. Vide Cajet. de Ent. & essent. q. 3. art. 1. & Fonsec. 4. Metaph. cap. 2. q. 1. sect. 6.*

44. *Unum per accidens dicitur, vel late, vel stricte.*

45. *Late acceptum complectitur unum aggregatione, & unum ratione subjecti.*

46. *Unum aggregatione est, multorum vel sine ordine, vel cum ordine.*

47. *Aggregatio multorum sine ordine est unio plurium ratione loci, ut acervus lapidum & frumenti.*

48. *Aggregatio cum ordine, est ordo multorum ad unum primum, ut exercitus ad ducem.*

49. *Unum per accidens (stricte acceptum) ratione subjecti est triplex: est enim vel ordo subjecti ad accidens, ut mel est dulce: vel ordo accidentis ad subjectum ut risibile est homo: vel duorum accidentium ad unum subjectum, ut dulce est flavum, quia mel. Arist. 5. Metaph. cap. 6.*

50. *In ordine unius ad multa consideratur vel multitudo ipsa, vel multitudinis affectio.*

51. *Multitudo est modus Entis secundum quem entia inter se sunt diversa vid. Thom. Opusc.*

pusc. 70. quæst. 4. articul. incorpore.

52. *Multitudo consideratur vel in dependentia ab Vno, vel in ejusdem oppositione.*

53. *Dependentia multitudinis ab Vno, est vel potentialis, vel actualis.*

54. *Dependentia potentialis est, qua quod est unum quid per se, intelligitur esse divisibile potentia in multas sui partes è quibus componitur.*

55. *Dependentia actualis est, qua unum actu in se multa complectitur, quæ secundum respectum quendam tantùm unitatem obtinent, ut est Vnum per accidens.*

56. *Oppositio inter Vnum & multa consideratur vel abstractive vel concretive.*

57. *Abstractive, considerando divisionem per unum & multa, divisio ea non est proprie per opposita: sed similis est ei, quæ est Entis in Ens & Entia. Ita enim potest fieri divisio in Vnum & Vna: ita ut multa proprie non sint Ens, sed Entia, & non Vnum, sed Vna ipsa sint multitudo ex Avic. 3. Meta. c. 6. Scotus in 4. Meta. q. 2. ¶. de secundo sic Avic.*

58. *Concretive accipiendo, quadruplex inter ea potest notari oppositio: Contraria, privativa relativa, & contradictoria.*

59. *Contraria ut divisibile & indivisibile supponunt diversa subjecta, quorum unum excludit divisibilitatem omnem, aliud eam ipsam admittit.*

60. *Privative ut divisibile & indivisibile accipiuntur præcise, ut divisibilitas notet sejunctionem partium ab invicem, indivisibile disjunctionis ejusdem privationem.*

61. *Relativa, quando notatur unum è multitudine compositum.*

62. *Contradictoria quando termini expri-*

nuntur per puram affirmationem & negationem, ut: Vnum non unum. Vide Franc. Suarez. disp. Metaph. 5. *s.* 6.

63. *Affectio multitudinis est ordo: nam multa relata ad unitatem ordinem sortiuntur. Ita enim intelligitur unum esse causam ordinis, & rerum ordini subjectarum, ex Averr. destruct. disp.* 3. *p.* 140.

64 *Ordo est multorum sub uno vel simul, vel secundum prius & posterius collocatorum congrua dispositio.*

65. *Simul vero esse dicimus quædam vel tempore, vel natura, Arist. in post præd. c.* 13.

66. *Tempore simul, quorum ortus in eodem tempore est.*

67. *Natura simul sunt duplicis generis: vel enim sunt reciproca, vel eadem divisione continentur.*

68. *Reciproca dicuntur, quæ in argumentatione reciprocantur, ut si sit unum & alterum esse concludatur, sed neutiquam alterum sit alteri causa: ita Relata dicuntur simul natura.*

69. *Simul natura ratione divisionis dicuntur species, quæ sub eodem genere continentur: ut leo & homo sub animali.*

70. *Prius vero et posterius quinque modis dicitur* 1. *tempore.* 2. *subsistendi consequentia.* 3. *ordine.* 4. *natura, et* 5. *dignitate, Arist. in post. præd. c.* 12.

71. *Tempore prius, quod antiquius et vetustius: Posterius quod generatione ortus sequitur. Ita Abraham Isaaco prior.*

72. *Prius subsistendi consequentia, quo posito sequitur aliud, non contra: ita unitas prior binario, si enim erit binarius, erit unitas, non contra.*

73. *Ordine prius, quod in scientiis priori loco docendum, ut quod ad alterius notitiam confert: posterius contra: ita universalia priora singularibus, 1. Phys. t. c. 4.*

74. *Natura prius, quod alteri est causa et ratio: ita anima intellectu prior.*

75. *Dignitate prius, quod est perfectius, ut: Consul cive.*

COMMENTARIUS.

PRimam Entis affectionem statuimus Unum, eo quod dicitur absolute sine respectu: & definimus, quod unum est Ens indivisum in se, divisum ab alio. Ens esse dicimus: Unius enim consideratio duplex esse potest: altera præcisa seu radicalis, altera formalis. Præcisam dicimus eam unius rationem, qua est distinctum quid & ab Ente, & à reliquis affectionibus, seu secundum id quod enti superaddit; & ita nihil infert præter hoc ipsum, quod nos propter inadæquatum nostrum concipiendi modum, divisionis privationem dicimus, Formalem vero dicimus, qua infert hoc omne quod habet: infert autem duo: 1. realitatem, Unum enim non est purum Ens rationis, ergo & entitatem, quia sine entitate nulla est realitas. Et 2. privationem, quam super entitatem præcise consideratam addit secundum nostram designationem, seu quoad nos. Itaque formaliter consideratum unum, dicit Ens cum negatione seu privatione addita. Quando vero unum dicitur esse indivisum in se, divisum ab aliis, non importatur alia & alia unitas, ut annotavit Soncinas. 10. Metaph. quæ 5. hoc est, ut indivisum in se notet unitatem absolutam, divisum ab aliis unitatem relati-

 vam:

vam: non enim est de Entis formali ratione, ut sint alia, quæ simul cum ipso stent, sed sufficit ut ipsum non sit aliorum quid, sive alia sint, sive minime Deus unus erat, cum vel maxime non essent alia ab ipso distincta. Sed indivisio in se, notat exclusionē multitudinis: divisio ab aliis, dicit consequens hujus indivisionis, quod scilicet necessario, si ponantur alia nihil eorum sit, non vero infert necessitatem ponendi alia simul cum Ente stare.

Hæc vero unius indivisio non opponitur divisioni quantitativæ, sed Entitativæ. In hoc enim vehementer erravit Avicenna in 7. Metaph. suæ, qui ut de ipso Aver. in 4. Metaph. t. c. 3 subtiliss. Joh. Duns in 4. Metaph. notaverunt, opinatus est quod unum, quod ponitur esse affectio Entis, sit idem cum eo, quod est principium numeri. Habet enim se unitas, quæ est principium numeri, ad unum hoc, quod Transcendentale dicimus, per modum inferioris ad suum superius & communius. Nam quoniam quoddam Ens est quantum, hoc ipsum Ens habens entitatem, habet unitatem quantitativam; non enim habet duas entitates inter se distinctas, sed unam habet entitatem, & huic opponitur divisio quantitativa. Unum vero in genere abstrahit ab unitate quanti & aliorum generum, ideoque non tantum quantorum est, sed & non quantorum, & opponitur ei in genere divisio entitativa, quatenus hoc quod de se est indivisum, est divisibile vel in partes ex quibus est, vel in partes quæ sub eo sunt. Et hoc unum confertur cum Ente: quoniam quando ad multitudinem deventum est, jam non Ens est, sed plura Entia, quæ & ipsa plura esse non possunt, nisi ad unitatem quandam redigantur. Ea de re elegantissima

Scoti

Scoti verba sunt. 4. Metaph. quæst. 2. ¶. de secundo: Divisio, inquit, per unum & multa non est divisio proprie per opposita, sed est, quasi diceretur Ens aliud Ens, aliud Entia: sic potest dividi unum & una, ita ut multa proprie non sint Ens, sed Entia, & non sit unum, sed una multitudo.

Multi vero unius gradus inveniuntur, ut annotavit subtiliss. Johan. Duns in 1. Sentent. d. 2. ¶. Sed hic restat ulterior difficultas.

1. Est enim minima, unitas ea quæ aggregationis dicitur.

2. Unitas ordinis.

3. Unitas per accidens.

4. Unitas per se compositi.

5. Unitas simplicitatis.

6. Unitas formalis.

Unitas aggregationis est, in qua multa Entia sine ulla unione, & sine ullo ordine congeruntur, quomodo acervus lapidum vel frumenti unum est, eaque minima unitas dicitur, quatenus congesta ea plura nihil Entis faciunt, sed tantum quod habebant Entis ante, ea quæ congeruntur, id sibi quidque horum conservat, nihil vero novi Entis acquirit. Tantum vero de uno quæque habent, quantum de Ente.

Unitas ordinis est, qua multa in unum collata nihil sibi mutuo conferunt, qua entia sunt, sed tamen qua ad unum aliquid ordinantur: atq; ita exercitus non habet nisi ordinē Unitatis prout scilicet ad unum ducem ordinatur. Et Scaliger exercitatione 6. sectione secunda: Unitas universi est propter ordinem partium inter se.

Unitas per accidens eo intelligitur, quæ est è subjecto & accidente mutuo informativis: habet enim se accidens ad substantiam, tan-

quam forma ad suam materiam, in qua unum compositum accidentale facit. Estque non cum apparente & Metaphorica, sed cum Physica unione conjuncta, ex rebus tantum diversorum generum, eorumque vel generalissimorum, ut homo quantus, album quantum, vel intermediorum, ut album dulce. Vide Scotum 6. Met. q. 2. ¶. Sed hic distinguentur.

Unitas per se compositi est, quæ ex actu & potentia ex eodem genere naturaliter ordinatis constat.

Dico ex actu & potentia, quia ex duobus actibus unum per se non fit.

Dico ex eodem genere, quia & accidens & subjectum habent sese ut actus & potentia, sed tamen è diversis generibus petuntur.

Dico ordinatis, ob transcendentalem habitudinem eam, quam extrema compositi inter se habent.

Dico naturaliter, quia etsi ex natura divina & humana fiat unum per se, filius nimirum hominis, tamen ut annotavit Joh. Altegest. in vocab. Theol. pag. 240. & Constantius Sarnanus Direct. Theolog. pag. 116. Christus proprie compositum non dicitur, & Deitas, & humanitas compositionem non faciunt.

Unitas simplicitatis, quæ nec est divisa, nec divisibilis, cujusmodi in Angelis & mentibus habetur. Juxta quod notandum, quod composita dicant quid unum, qua indivisa actu sunt, divisibilia tamen potentia; intelligentiæ vero & divisionem & divisibilitatem excludunt.

Unitas formalis est, ubi illud quod dicitur sic idem includit illud cui hoc est idem in ratione sua formali, & per consequens per se primo modo. Hic tamen sciendum, quod ut notavit

Poli-

Polichius in 1. de Anima q. 2. not. 2. Vnitas formalis duobus modis dicatur: vel unitas formalis ſimpliciter, vel cum quadam latitudine. Vnitas formalis ſimpliciter ea eſt, de qua hoc loco agimus. Unitas vero formalis cum latitudine omnis ea dici poteſt, quæ largitur eſſe ſecundum primum dicendi per ſe modum. Adſcribam verba Polichii: Unitas formalis inquit attenditur penes privationem diviſionis formalis: (dicit autem diviſionem formalem, quæ fit per eſſentialia principia) & habet latitudinem. Quædam enim privat diviſione formali omnino cauſabili per principia propria & communia, & hæc eſt unitas formalis ſimpliciter. Quædam vero privat diviſione formali, non ſimpliciter, ſed taliter ſcil. cauſabili per principia communia, & hæc eſt unitas formalis ſecundum quid, & habet latitudinem, ſecundum quod diviſio privata cauſabilis eſt à magis & minus communibus principiis eſſentialibus. Vide de quinque modis unitatis & multitudinis Auguſt. Niphum Sueſſanum ad diſp. 5. diſtruct. Averr. p. 173. Atq; hæc de uno dicta ſufficiunt.

CAPVT. VI.

De Vero.

VNum ſequitur verum: Bono prius & intellectus voluntate: eſt enim verum Ens in ordine ad intellectum, ut bonum Ens in ordine ad voluntatem.

2. *Verum eſt Ens adæquatum intellectui.*

3. *Veri notio duplex eſt: Vna quoad materiale, altera quoad formale.*

4. *Verum materialiter conſideratum eſt Ens cum denominatione veri.*



5. *Formalis est respectus entis ad intellectum suum, secundum quem adæquate mensurari potest: & ita verum formaliter dicit nihil aliud quam ens cum connotatione ordinis ad intellectum.*

6. *Is respectus non est respectus rationis, non enim à sola mentis operatione pendet, sed fundatur à parte rei. Nec respectus prædicamentalis est: non enim potest fundamentum dicere à suo subjecto diversum. Verum Transcendentalis, ut denotet adæquatam habitudinem entis & intellectus; velut intellectus immediatè feratur super hoc quod idem sibi ipsi est, ut est veritas divina: vel ut ens dependeat ab intellectu secundum eam ideam ex qua rei esse metimur.*

7. *Et hinc in iis quæ dependent, idea potest dici essentialis ratio secundum quam quidque dicitur verum: naturalium quidem ea idea, secundum quam res dependent ab intellectu divino: artificialium vero, secundum quam dependent ab intellectu humano.*

8. *Est vero idea aliquod cognitum à principio effectivo intellectuali, ad quod activum aspiciens potest aliquid in esse reali producere. Guilhemus Ockam in 1. d. 35. q. 5. Qua de re fusè egi Antidoti mei lib. 2. c. 22.*

9. *Gradus veritatis considerantur vel secundum veritatem ejusdem rationis sive subordinatæ, vel rationis diversæ.*

10, *Ejusdem rationis sive subordinata veritas potest considerari: vel objective, vel subjective, vel identice, vel significative. Objective in rebus, subjective intellectu, identice in conceptu mentis, significative in voce.*

11. *Hinc veritas vel est incomplexa, quæ est affectus Entis simpliciter accepti, & intellecti, alio nomine dicitur veritas in essendo, sive veritas rei: alia est complexa.*

12. Ve-

12. *Veritas complexa est affectus orationis dependens ex significatarum rerum convenientia, ut ut docetur apud Scal. exerc. 307. sect. 27.*

13. *Et hæc est vel in significando, quomodo voces & conceptus dicuntur signa rerum juxta Arist. in lib. de Interp. cap. 1. quæ signa tum demum vera dicuntur, quando ipsis rebus extra in rerum natura positis respondent : vel est in cognoscendo quatenus scilicet res sunt in intellectu concipiente & componente eas. Vide F. Suarez. in disp. Metaph. 8. & Ferrar. in q. in 3. de anima.*

14. *Aliter in hunc modum potest exprimi, quod veritas consideretur vel fundamentaliter, vel repræsentativè, vel formaliter, secundum Soncinatem 6. Metap. q. 16.*

15. *Fundamentaliter est ipsa rei entitas: formaliter ex ordine ad intellectum : repræsentativè è significando.*

16. *Quoad gradus diversæ rationis ; veritas est vel res, vel sermonis, vel facti.*

17. *Veritas rei est veritas Transcendentalis hujus loci propria.*

18. *Veritas sermonis est duplex : vel enim est ordinata ad rem significatam , vel ad intentionem proferentis. Bonaventura post Alex. 2. p. q. 139. memb. 1. Gabriel, in 3. d. 38. unic art. 1. not. 1.*

19. *Ordinata od rem significatam est , quæ pronunciat uti res est : hæc veritas Logica communiter dicitur.*

20. *Ordinata ad intentionem est veritas, quæ quod verba sonant mente persuasum habemus, hæc veritas Ethica communiter dicitur.*

21. *De hoc veri genere sunt elegantissima Scaligeri verba ex 2. nos, inquit, in Platonica exercitationibus non esse falsam probavimus orationem*

tionem, nisi si quis volens mentiatur. Non enim falsa dicit, qui se verum putat dicere: sed falsas apprehensas, vere enunciat illas apprehensiones. Hinc definit ex adæquatione orationis cum ipsis speciebus.

22. *Veritas facti est vel in judicio vel in conversatione.*

23. *Veritas in judicio est conformitas agendi secundum justitiam.*

24. *Veritas in conversatione est habitus, quo quis dictis, factis & opere seipsum manifestat, ut recta ratio demonstrat ex Arist. 4. Moral. c. 7. vide Versorem 4. Eth. q. 8.*

25. *Veritatis in essendo affectio est reciprocatio: veritas in cognoscendo consideratur in difficultate & opposita falsitate.*

26. *Reciprocatio est conversio veri cum Ente, ut de quo dicitur Ens, de eodem verum dicatur: veritas enim Transcendentalis falsitatem nullam habet oppositam.*

27. *Difficultas in cognoscendo est dispositio secundum quam res cognoscendæ non adæquatæ à nobis apprehendi & concipi possunt. Eam difficultatem præscripsit Arist. in 2. Met. t. c. 1. Speculatio, inquit, de veritate partim difficilis, partim facilis est: hujus signum, quod quisque de natura aliquid dicit: illud, quod nemo eam vel totam, vel majorem ejus partem comprehenderit.*

28. *Difficultas ea duobus modis intelligi potest, vel penes nos, vel penes res subtiles, ut docet Aver. 2. Meta. t. c. 1. & fortassis causa ejus non rebus, sed nobis ipsis inest, ut subtilissime disputat Scotus in 2. Metaph. q. 2. & 3. & in 1. d. 3. q. 1. & approbat Mauritius in castigat. l. 1. Met. q. 2.*

29. *Difficultas imperfectionis et falsitatis mater est: deficit enim quisq; in eo quod non comprehendit*

30. *Im-*

30. *Imperfectio vero & penes nos est, & penes scientias. Nam defectus causæ defectum parit in effecto.*

31. *Imperfectio nostra partim in inventione est partim in doctrina. Nam eandem perfectionis & imperfectionis causam suspicamur: perfectionis positive, imperfectionis privativè. Ast duplici hac via cognitio perficitur: inventione, & disciplina.*

32. Error *in inventione vel ab Experientia nascitur, vel à ratione.*

33. Error *in experientia vel à sensu est, vel ab intellectu.*

34. *Error in experientia à sensu est, quando sensus decipitur circa singularia ea objecta, quorum multæ memoriæ unius experientiæ vim faciunt, ut colligitur ex Arist. in 1. Metaph. c. 1.*

35. *Error vero sensus circa objectum suum est quintuplex: Primus ab excellentia sensibilis oritur, si ea nimium organum sensus virtute sua superet, ut lux diei vespertilionis occulum. Secundus ab indispositione organi, si scilicet sit male affectum. Tertius ab indispositione medii, si alienis qualitatibus afficiatur. Quartus à distantia, si ea non sit in debita proportione inter sensum & objectum. Quintus si sensus & objectum conformiter sese non habeant. Georg. 2. de anima.*

36. *Error experientiæ ab intellectu est, quando vel ex iis in quibus sensus decipitur, vel quæ nondum sufficiant, intellectus experimentum sibi fingit. Unde hic error intellectus duplex est: vel mediatus, vel immediatus. Mediatus is est, quando sensu mediante intellectus circa experientiam decipitur.*

37. *Error vero intellectus immediatus is est, quan-*

quando ex iis, quæ bene sensus percepit, intellectus male experientiam concipit, quia ad experientiam faciendam nondum sufficiunt. Et hic error insufficientiæ appellari potest.

38. *Insufficientia vero experientiæ duplex est: una fit ratione temporis, alia ratione subjectorum.*

39. *Ratione temporis error oritur, quando non tantum tempus, quantum debetur experientiæ, tribuimus. Quod in motuum cœlestium calculo evidens est. Nam experientiam efficit temporis longitudo, inquit, Arist. 6. Ethic. cap. 8. vitæ ergo brevitas fallacem sæpe reddit experientiam. Quod memorabili Hippocratis docetur: Ars longa, vita brevis, experientia fallax.*

40. *Ratione subjectorum, quando non omnia particularia objecta nota & manifesta nobis sunt, quæ ad experientiam confirmandam faciunt. Vnde Arabiæ & Africæ sapientes quotannis scripta permutare proditum scimus, utrinque inquirentes, num quæ experientia artium suarum rationes forte debilitârit, ut si quid subjectorum diversitas diversum suadeat, artes ad naturæ regulam aliter informentur.*

41. *Falsitas à ratione nascitur, quando intellectus vel in facilioribus non satis præparatus de difficilioribus judicium præsumit ferre: vel de iis rebus ut adæquate cognitis judicium fert, quæ vel inadæquate, vel nullo modo ab ipso cognoscuntur, vel componendo, vel dividendo res, quæ in natura vel composita vel divisa non sunt.*

42. *Falsitas ratione disciplinæ & doctrinæ accidit, quando docentis authoritate decepti communem errorem & imbibimus & propagamus.*

43. *Error in scientiis est partus imperfectionis scientis*

scientis & docentis: quæ enim ab aliis non satis cognita scriptis produntur, falsitatem scientiis & disciplinis inferunt. Sed de his alibi fusius agere constituimus, in proprio tractatu de scientiarum imperfectione.

COMMENTARIVS.

SEcunda Entis affectio est verum, posterior uno quia relativa est: prior bono, quia intellectus prior, cujus objectum verum est, quam voluntas cujus objectum bonum est. Dicitur enim quæque res vera, prout ad intellectum refertur. Quod ut melius intelligatur tria accurate notanda sunt: Primo quid sit veritas. 2. quotuplex sit veritas: 3. An habeat oppositam falsitatem. Quantum ad primum attinet, dicendum, quod sicut Ens dicitur in ordine ad esse, ita Ens relatum ad intellectum dicitur esse verum. Ac ita verum intrinsece dicit Ens: hoc vero quo verum ab ente distinguitur est habere additam relationem ad aliud, nimirum ad intellectum. Tenendum vero quod res dupliciter potest comparari ad intellectum, ut post Thomam 1. par quæst. 16. art. 1. notarunt Fran. Sylvester Ferr. 1. de anima quæst. 10. Armandu. de bello visu tract 2. cap 24. & Fran. Suarez. disputat. Metaph. 8. sect. 5. nu. 1. uno modo essentialiter, alio modo accidentaliter. Essentialis ordo ad intellectum is est, quando intellectus est causa ipsarum rerum. Eo modo quo intellectus divinus est causa inferiorum. Accidentalis vero, quando ab ipsis rebus ad intelligendum movetur intellectus, dum videlicet suam similitudinem in ipso imprimunt. Ejusmodi habitudo est rerum naturalium ad intel-

lectum Artificis, non quod ab intellectu Artificis fiant, sed quod ab eo cognoscantur. E qua utraque habitudine veri natura aliquatenus patet. Priori ratione verum quid rei est, prout habet esse firmum juxta eam ideam, quæ est in intellectu agentis, agens enim rem producens, eam vere conformem reddit ad eam ideam, quam de re producenda ante concepit. Sunt vero res duplicis generis: quædam necessariæ, quædam contingentes. Necessarias dicimus res naturales, quæ ab hominis arbitrio non dependent: sed vel in natura sunt, vel à natura producuntur. Harum veritatem proximè metimur ex intellectu divino. Habet enim Deus omnium rerum extra in mundo positarum ideas, ad quas comparatæ certam speciem sortiuntur, & ad earum modum definitiones habent. Juxta quod à Platone bene dictum est: quod ideæ sint in mente divina, sint in concavo Lunæ, & sint in crebro Dei: nihil aliud innuens, quam quod Deus seipsum intrinsecè speculando ipsas res cognoscat, extra agendo res ad has ideas conformet, prout res in concavo Lunæ existentes conformes fiunt ideis divinis. In cerebro vero Dei esse dicuntur: improprie illud quidem, Deus enim cerebrum non habet. Verum interim, secundum quod Deus habet practicam cognitionem de iis in habitu, ut eleganter illud annotavit Mattias Aquarius in disp. de ideis. Res vero contingentes dependent ab arbitrio humano & fiunt ad conceptum ipsius artificis: operatur enim artifex secundum eum habitum, quem ante mente concepit. Atque hoc modo res dicuntur esse veræ, quatenus conformantur ad intellectum; & ita mensurantur ab intelle-

ctu,

ctu, qui earum rerum mensura est. Contra sese habet in rebus accidentaliter ad intellectum ordinatis: dicitur enim veritas prout intellectus habet similitudinem rerum quoad extra sunt: & eo modo res potius mensurant intellectum, quam mensurantur. Tantùm enim de veritate quidque obtinet secundum hunc modum, quantum rebus proportionatus est intellectus. Utrinque ergo verum est, veritatem esse conformationem rei & intellectus: uno quidem modo, ut intellectus sit mensura rerum, juxta quam res vera est, si intellectui sit conformis. Alio modo ut res sit mensura intellectus: ita verum esse dicimus, quando rem concipimus, prout extra intellectum est posita. Atque ob hanc conformationem, quæ est inter verum & intellectum fit, ut nihil charius sit intellectui, quam veritas, quod eleganter admodum disputavit August. Arguit. Niphus Suessanus ad disput. Metaph. 1. destruct. Averrois quatuor viis idipsum declarando, quas videat eo loco, qui voluerit. Hinc jam ut de secundo dicamus, duplex enascitur veritas: alia rei, alia cognitionis. Veritas rei rest participatio ejus essentiæ, quæ cuique in ea specie debetur, quatenus ad intellectum seu ideam suam ordinatur. Ita veritas hominis est, participare esse humanum in animalitate, & rationalitate: hoc enim esse homini debetur secundum eam ideam, quam ab intellectu divino participat. Veritas vero cognitionis est conformitas intellectûs ad rem secundum speciem, ab objecto productam. Verum enim quidque esse cognoscimus, si species rei, quæ est in intellectu, respondeat objecto extrapósito & constituto. Ea duplex est, vel enim est apprehensiva, vel judicativa. Veritas apprehensiva

est

est conceptus proportionatus rei, quo res cognoscitur prout est, nullo modo judicium de eo ferendo.

Ea iterum duplex est: vel simplex, vel complexa. Simplex ea est, quando rem simplicem apprehendo, ut Deum esse. Complexa quando rem compositam, ut nivem esse albam, corvum esse nigrum. Veritas judicativa est, quando rem cognosco esse veram cum adhæsione, hoc est, ut feram de veritate judicium, an sit veritas vel necessario, vel contingenter se habens, in quo gradu necessitatis sit posita, vel etiam per medium cum discursu. Et hæc veritas κατ' ἐξοχὴν dicitur veritas cognitionis. Quo sensu apud Arist. in Categoriis scriptum est, nihil eorum, quæ planè simplicia sunt, verum esse aut falsum. Quo respectu plurimi sunt qui existimant, non esse veritatem in conceptu simplici, vel etiam sine judicio. Qui ea in re decipiuntur; sunt enim & simplicium & complexarum rerum species in intellectu, quæ si respondeant rei, veritatem dicunt in cognoscendo. Et ratio veritatis non pendet à iudicio: verè enim rem ita se habere cognosco, si extremorum connexio fuit legitima, sine omni etiam iudicio.

Ac magna differentia est inter diversas has veri acceptiones. Veritas rei transcendentalis est, & omnibus rebus competit, & propria est Metaphysico: qui ut rerum naturam & essentiam in genere considerat, ita in genere considerat veritatem earum, secundum quam Ens quodque in hoc, vel illo speciei gradu, ponitur. Veritas vero cognitionis Logici est: hic enim modum rerum cognoscendarum præscribit. Unde apud Zabarellam. Logicæ finis esse ponitur, verum à falso discernere. Est quidem omnibus

scentiis

scientiis commune, veritatem inquirere: speculativarum enim finis veritas est. Verum hoc secundum actum exercitum intelligendum est: nulla enim earum inquirit quod quid erat esse veritatis cognitionis secundum actum signatum. Hoc Logici munus esse proprium ex Arist. in 1. Periherm. luculentissime declaratur. Ac hoc modo, ut & illud obiter addamus, videtur intelligendus esse Aristot. & conciliandus, quando in Antepræd. dicit: nihil eorum quæ planè simplicia sunt verum esse aut falsum. Contrarium vero dicere videtur. 2. Metaph. cap. 1. Unum quidque ut est, ita esse verum. Ut scilicet prior locus intelligatur de veritate cognitionis seu complexa: posterior de veritate Entis seu incomplexa transcendentali. Quod ipsum Fonseca etiam innuit quando dicit 4. Metaph. cap. 2. q 6. sect. 5. Ubicunque Arist. ait: verum & falsum in sola compositione & divisione consistere, intelligendum id esse de vero & falso ut cognito; neque enim verum & falsum cognosci per primam intellectus operationem, sed per secundam: in qua sola possit fieri comparatio inter res & intellectum.

De tertio dicendum, quod veritati rei nulla opponatur falsitas: sed veritati cognitionis, propriè quidem complexæ, impropriè tamen & secundum Metaphoram incomplexæ. Hoc ita deducamus, cum ut veritas, ita & falsitas dicatur in ordine ad intellectum, isque vel divinus sit, vel humanus, ad horum vero nullum res comparatæ falsæ dicantur, patet inde, quod veritati rei nulla opponatur falsitas. Ut enim de divino prius dicamus, hic ipse sive in rerum contemplatione, sive in earundem actione consideretur, falli nullo modo potest. Non quoad contemplationem:

plationem: res enim quomodo sese habent; ita divino intellectui contemplandæ objiciuntur. Quoad actionem vero: cùm enim Deus agat ad præscriptum idearum, in eaque actione impediri nullo modo possit, nec errare etiam: in comparatione sanè rerum ad intellectum divinum nullam omninò falsitatem esse apparet. Quod si ad humanum intellectum attendamus, nec hoc modo est: intellectus namque si res speculetur, aut nullo modo attingit, & hæc ignorantia potiùs est, quam falsitas: aut attingit ipsas, quomodo sunt. Nulla ergo ratione simplicibus ulla vel affingi, vel appingi potest falsitas. Hanc sententiam clarissimis verbis proponit Arist. 9. *Meta.* t. c. 22. Neque enim inquit, fit, ut circa ipsum quid est decipiamur, nisi per accidens, eodemque modo circa substantias non compositas, nemo enim decipitur. Quæcunque igitur sunt, id quod propriè quid est, atque actu, in eis non datur decipi, sed aut intelligi, aut minimè. Sin ad humanum intellectum, res metiamur, ut ab ipso fiunt, eo respectu res naturales falsæ dici non possunt: non enim dependent ab intellectu humano. Sed nec artificiales, aut morales. Quòd si enim artificiales procedunt ab intellellectu, secundùm modum idearum ab artifice conceptarum, veræ sunt: est enim conformitas rei & intellectus. Sin ob impedimentum aliquod extrinsecum aliquid patiantur, id ipsum ratione intellectûs non patiuntur: at verò respectu intellectûs rei est veritas & falsitas. Morales verò quoniam conformantur ad dictamen à quo procedunt, falsæ propriè non sunt; sed vel bonæ, vel malæ. Metimur enim actiones morales non ad intellectum, sed ad voluntatem. E dictis itaque patet, propriè lo-

loquendo veritatem rei esse nullam, cùm res quæcunque veritatem obtineat, secundùm esse illud quod habet. De secunda parte dicendo, dicimus, quòd circa veritatem cognitionis incomplexam cadere possit aliqua falsitas impropriè dicta, secundùm quod falsum dicimus id, quod est suppostititium, corruptum, depravatum fucatum, larvatum, adulterinum. Quomodo apud Franc. Suaretz. disp. Metaph. 9. sect. 1. num. 6. scriptum est, in rebus extra intellectum non esse propriam & rigorosam falsitatem, sed vocari falsas per quandam Metaphoram, & extrinsecam denominationem, quoad scil. non verè concipiuntur vel apprehenduntur à cognoscente facultate. Et hæc denominatio variis modis fieri potest, ut notat Thomas 1. par. q. 7. art. 1. Primus modus est, ratione similitudinis ad rem veram, quâ delusi pro vero suppostititium arripimus, quomodo aurichalcum supponi nobis potest. Et ita Joh. Fr. Picus *Mirandula* de morte Christi & propria cogitanda lib. 5. cap. 11. dicit: falsum id appellare possumus, quod ideæ talis rei, cujus gerit similitudinem, non quadrat; Sicut falsum aurum dicimus, quoad ideæ auri disconvenit. Secundus est quando concipimus objectum falsæ opinionis, quomodo idolum falsum Deum dicimus. Tertius modus fit, quando res falsa dicitur, si quando non est adæquata, vel conformis arti. Quomodo falli dicimus Medicum, quando artis defectu medicinam non satis cognitam præbet. In quo tamen genere imperfectionem potiùs, quam falsitatem esse cognoscimus. Et hoc sensu apud Arist. in 5. Met. t. 34. scriptum est, quod in simplicibus etiam aliquod falsum sit, quando falsa in rebus dicit esset, aut ea quæ

non

non sunt omninò, aut quæ non sunt ea quæ apparent. Quæ sanè cum additione, & non simpliciter esse falsa in aprico esse positum existimo.

Complexorum verò falsitas propriè dicta est, eaque tam certa, ut in dubium vocari non possit. Ea in compositione & divisione intellectus consistit, quando nimirum intellectus componit vel dividit ea, quæ naturâ sua vel convenientiam vel disconvenientiam nullam habent. Ita falso dividit intellectus, quæ necessariò conveniunt, dicendo, hominem non esse animal. Et falso componit inter quæ disconvenientia magna est, dicendo, hominem esse *Leonem*. Vide Arist. 9. Metaph. t. c. 21. E dictis tam quoad strictè, quam quoad Metaphoricè acceptam falsitatem quatuor modi falsi ab Arist. in 5. Metaph. c. 22. propositi colligi possunt:

1. Dicitur falsum in propositionibus, seu in oratione. Oratio autem falsa dicitur duobus modis: una quæ ea componit, quæ non sunt composita: alia quæ significat illud componi, quod est impossibile componi. 2. Dicitur falsum de re falsa, uno modo quia non est, alio modo quia licèt sit, non tamen est talis, qualis apparet: talia autem debent dici falsa, non simpliciter, sed cum additione, ut dicebamus. 3. Dicitur falsum de definitionibus. Contingit autem falsam esse definitionem tripliciter; uno modo quando una pars definitionis repugnat alteri parti; alio modo dicitur definitio falsa non simpliciter, sed respectu illius, cui assignatur, assignando sc. definitionem non suo definito. 4 Dicitur falsum in hominibus; & hoc contingit dupliciter; uno modo falsus dicitur qui certâ intentione coram aliis falsas rationes asserit,

asserit, idque cum intentione fallendi. Alio modo homo falsus dicitur, qui rationes falsas profert, licèt non ex intentione fallendi. Et ex hisce quatuor modis, quæ natura falsi sit in quocunque genere cognosci facilè potest. Et hæc de vero dicta sufficiant.

CAPUT VII.

De Bono.

Bonum dicunt Ens in ordine ad appetitum.

2. *Id consideratur vel in proprio esse, vel relativè in ordine ad malum.*

3. *In proprio esse consideratur, vel in genere, vel in gradibus.*

4. *In genere consideratur, vel in definitione, vel quoad proprietates.*

5. *Definitivè consideratum bonum, est Ens ordinatum ad voluntatem sibi propriam, à qua esse approbationis habet.*

6. *Itaque vera non est sententia Fran. Suarez disp. Met* 10. *f.* 1. *n.* 14. *bonum esse solum passionem Entis, prout dicit convenientiam ad alterum, seu prout est bonum alteri. Hæc enim non est Transcendentis boni natura, sed boni naturalis.*

7. *Nec approbo sententiam Scoti asserentis, absolutam quandam proprietatē bonum addere enti: quod enim absolutum in bono est, ipsum Ens est.*

8. *Nec relatio rationis tantùm est: non enim entis bonitas à nostro conceptu pendet, sed nos ita concipimus, quia ita est.*

9. *Nobis denotat ordinem ad suam voluntatem, à qua esse approbationis debetur. Ejusmodi Entis bonitatem puto denotari Gen.* 1. *Vidit Deus omnia, & erant valdè bona.*

10. *Quæ enim erant, eâ visione seu approbatione* DEI *boni denominationem substinebant.*

11. *Itàque definimus relationem Transcendentalem, quæ realis est, non tamen extrema realem dinctionem ab invicem requirunt necessariò.*

12. *Proprietates boni sunt: conversio, & appetibilitas.*

13. *Conversio est mutua Entis & boni de se invicem prædicatio.*

14. *Itàque dicimus omne Ens bonum est, & omne bonum est Ens.*

15. *Appetibilitas est proprietas consequens bonum, ut appetitus quærat ens, uti sibi conveniens.*

16. *Itàque Arist. definitio 1. Eth. c. 1. bonum est, quod omnes expetunt, a posteriori est: non enim est ab appetitu, à quo dependet bonum essentialiter, sed à quo accidentaliter.*

17. *Et hinc sequitur, quòd bonum & finis convertuntur.*

18. *Non per relationem bonorum inter se, ita enim bona quædam media, quædam ut finis: sed per respectum ad appetitum, quia à bono terminatur.*

19. *Gradus bonitatis sunt tres. Bonitas Transcendentalis, Naturalis & Moralis.*

20. *Transcendentalis est ea, quæ Ens quodque immediatè consequitur secundùm eam voluntatem, à qua res immediatè vel approbatur, vel etiam dependet.*

21. *Naturalis verò bonitas est convenientia cujusq; rei cum re alia, secundùm quod quæq; vel ad aliam est ordinatà, vel ad ens primum refertur.*

22. *Hæc bonitas Relativa aliàs dicitur: quia tota est in respectu rei ad rem, et rei absoluta considerata non convenit.*

23. *Bonitas moralis est bonitas rationalis creaturæ propria; secundùm quod à dictamine rectæ rationis gubernatum.*

24. Bo-

24. *Bonum verò morale duplex est: bonum morale in genere, et bonum è circumstantiis. Scotus quodl. 18. art. 1, et 2. d. 40. sect. respondeo.*

25. *Bonum morale in genere est convenientia actus et objecti secundùm dictamen rectæ rationis, et non tantùm secundùm convenientiam naturæ.*

26. *Bonum verò morale quoad circumstantias, est actus conformis rectæ rationi, et quoad objectum, et quoad aggregationem omnium circumstantiarum ad actus bonitatem pertinentium.*

27. *Et hîc requiritur: ut actus sit voluntarius, 2. ut feratur ad debitum objectum. 3. ut finis sit bonus, 4 ut sit debita forma actionis legitimo modo susceptæ. 5. ut in extrinsecis circumstantiis ne sit error, quoad quando, ubi et hujusmodi.*

28. *Bonum consideratum in ordine ad malum spectatur in oppositione ad malum.*

29. *Hinc malum definimus, quòd sit boni privatio.*

30. *Malum accipitur vel concretivè, vel abstractivè, Biel. in 2. d. 34. quæst. unic. art 2. concl. 1. & 2. & Tartaretus 1. Ethic. q. 3. et quæst. moral. c. 6. de actib. intell.*

31. *Malum concretivè acceptum est res vel actus qui proficiscitur ab agente cum denominatione malitiæ, ob deformitatem eam, qua privatur bono debito inesse.*

32. *Hinc malum concretivè acceptum dicit duo: materiale seu substratum, cui accedit malitia, ut est vel subiectum verbi gratia, homo qui dicitur malus, vel actio, cædes verbi gratia quæ dicitur mala: et formale, ipse sc. bonitatis defectus, qui est ratio, ob quam aliquid malum esse denominatur, ut aversio à fine*

ultimo, & voluntate prima est ratio peccati apud Scotum in 2. d. 37. sect. concedo igitur.

33. *Et ita malum semper est conjunctum cum bono, ut non esse quidem poßit, nisi sit bonum.*

34. *Dicis: ergone contrarium stat cum suo contrario? Hic dico, Bonum habere oppositum malum non quodvis, sed sibi respondens: bonum stare non potest cum suo malo, sed cum malo alterius generis.*

35. *Nam bonum Transcendens oppositum malum nihil habet: bonum naturale habet oppositum malum naturæ seu pœnæ, et bonum morale habet oppositum malum morale seu vitium.*

36. *Hinc ergò bonum & malum, qua sese habent modo opposito stare simul nequeunt. Nec enim bonum morale et malum morale sunt simul: nemo simul avarus et liberalis esse potest. Et bonum naturæ et malum naturæ non sunt simul: neque enim quisquam in bona corporis valetudine constitutus simul ægrotat. Verùm malum naturæ & bonum entis sibi non opponuntur: et malum moris nec bono naturæ, nec bono entis opponitur. Malum ergò naturæ potest esse in bono subjecto, quod est bonum bonitate Entis: huic enim non opponitur, nam morbus non destruit ipsum subjectum, in quo est aliquid quod est in subjecto bonum bonitate naturæ, temperatur scilicet. Eodem modo vitium seu malum moris est in boni, non in quòd sibi habet oppositum, hoc enim destruit: sed in subjecto quod est bonum bonitate Entis, cui tantum abest ut repugnet, ut sine eo non esse poßit.*

37. *Hinc elegans est illud Raymundi: Quare mulier pulchra superba est de sua pulchritudine, non de sua bonitate, cùm bonitas pulchrior sit, quàm facies ejus? Solutio: nulla bonitas moralis participat cum peccato.*

38. *E quo nos colligimus ; non opus esse ut confugiamus ad hanc limitationem : Contraria non posse esse simul, hanc regulam pati exceptionem, in oppositione boni & mali, at quidam in hunc modum determinaverunt. Nam manifestum esse arbitror, nec bonum cum suo contrario bono posse simul subsistere.*

39. *Malum abstractivè consideratum est ipsa malitia, quæ nihil est aliud, quàm carentia boni debiti inesse. Vnde Thom. 1. p. q. 48. & 49. & Gabr. in 2. d. 34. q. un. fuse ea de re differentes.*

COMMENTARIUS.

TErtia Entis affectio sequitur, & est Bonum: id definitur, quod omnes appetunt, apud Arist. 1. Eth. cap. 1. Ad hujus definitionis declarationem sciendum, quod bonitas non uno modo dicitur: Est enim bonitas Transcendentalis, est bonitas naturalis (relativa) & est bonitas moralis, ut videre est apud Scalig. exerc. 307. sect. 27. Bonitas Transcendentalis dicitur, quâ quidque habet esse primum perfectum in ordine ad appetitum. In qua descriptione duo notanda veniunt : unum quid sit esse perfectum, alterum quis sit ille ordo ad appetitum. Ad primum sciendum, quod perfectio duplex est: una est perfectio prima, alia vero perfectio secunda, ut annotavit subtiliss. Duns in prologo Metaphys. & Tartaretus 2. Ethic. cap. 1. Perfectione prima perfectum intelligimus illud, quod habet omnia pertinentia ad primum esse rei, seu ad essentiam. Perfectionem vero secundam illud obtinet, quod habet omnia pertientia ad secundum esse rei, hoc est, in operando. Esse perfectum hîc non intelligitur de

perfectione secunda seu accidentali: ita enim relativa bonitas perficit quidque juxta bene esse hujus naturæ, in ordine ad actum secundum. Moralis verò bonitas perficit in ordine ad summum bonum, ad quod tanquam ad finem ultimum per virtutes contendimus. Sed esse perfectum dicit hoc loco perfectionem entitativam seu essendi, qua nulla omninò res destituitur, quâ est Ens: est enim nihil aliud, quam quod est apud Arist. 5. Metaph. cap. 16. Rem secundùm benè in nullo desinere, nec habere in unoquoque genere excessum, nec quicquam esse extra.

Ad secundum dicendum juxta Thom. 1. Ethic. cap 1. quod quando definitur bonum esse, quod omnes appetunt, definitur à posteriori: est enim res in se perfecta, & quia perfecta est eatenus appeti potest: non enim res est bona, quia appetitur, sed quia bona est, ideò appetitur, ideoque bonum esse est causa appetitus sui, non contra. Quod ut sciatur, tenendum quod appetibile dupliciter accipiatur: uno modo fundamentaliter, alio modo formaliter. Fundamentaliter acceptum nihil est aliud, quam res cui non repugnat ordinari ad appetitum, ac hoc modo bonum quidque est & appetibile, si vel maximè appetitus non sit, quia ab appetibili seu bono moveatur. Formaliter verò acceptum appetibile dicit convenientiam eam qua consideratur hoc, quod est bonum objective esse in appetitu. Posteriori modo acceptum appetibile non infert semper bonum, potest enim esse bonum & non esse in appetitu. Priori modo appetibile dicit idem re cum bono, sed tamen cum differentia rationis: etsi enim unum ab altero semper inferatur, appetibile tamen

men primo respicit appetitum, consequenter bonum, quoniam malum objectum appetitus non est: at bonum primò respicit rationem sui intrinsecam, & consequenter infert appetibile esse, quia non est appetibile, nisi sub boni ratione. E dictis patet, quomodo bonitas ea transcendentalis juxta perfectionem suam ad appetitum ordinetur. Et hæc ea in re communis est sententia: quod si tamen rem exactius aliquanto perpendere velimus, ita mihi videtur Rem duobus modis posse dici ordinari ad appetitum. Uno modo ad appetitum ut regulam & mensuram, alio modo consequenter. Ordo boni ad appetitum ut regulam & mensuram, est ordo essentialis boni, ad eam voluntatem, unde est ratio approbationis. Et ita inferiora omnia dicuntur bona esse ratione dependentiæ à voluntate divina, secundum quod ab ea voluntate fuêre approbata. Hic verò ordo mihi esse videtur formalis ratio boni transcendentalis. Ordo vero ad appetitum consequenter, est ordo accidentalis boni ad appetitum eum, à quo formalis ratio boni non est, sed qui apprehendit eam bonitatem in re quavis; quam obtinet ratione approbationis voluntatis cuique Enti primæ & propriæ. Ea vero apprehensio nihil est aliud, quam quod appetitus noster feratur naturaliter in illud Ens, quod naturæ instinctu cognoscit esse approbatum in prima voluntate. Is vero naturalis instinctus videtur esse cuique appetitui in inferioribus innatus, quia est subordinatus superiori voluntati: est enim naturale, ut inferius in quoque genere subordinetur suo superiori ejusdem generis, & ratione ejus ordinis sit signum quoad nos in inferiori gradu constitutos influxus superioris in eo genere.

Qua de re alio loco fusiùs agemus: nunc enim brevitatis studio hæc attigisse sufficiat.

Bonitas verò naturalis seu relativa ea dicitur, quâ quidque habet ea omnia requisita quæ pertinent ad ipsius esse benè naturale secundum perfectionem secundam. Quod ut melius intelligatur, sciendum, quod perfectio secunda rei naturalis ea sit, qua ponuntur res in esse existentiæ, ut sc. est actu extra caussas, in ordine ad operationes constitutum: & eo modo intellecta res, non tantum statuitur in perfectione prima, hoc est, in essentialibus solis, sed præterea, quoniam, ut est apud Philosophos passim, plura ad rei existentiam quam ad ejus essentiam requiruntur, in perfectione secunda requirit omnia, ea quæ sunt necessaria ab obtinendam operationem eam, ad quam res suâ natura fertur: juxta quod habet ad operationem acquirenda principia naturalia, non vero ea, quæ vel sunt habitu vel artificio acquisita: hæc enim ad moralem bonitatem perficiendam statuuntur. Breviter: bonitas naturalis est perfectio secunda, naturæ qua tali debita & conveniens. Ita bonitas naturalis est homini vivere potiùs in aëre, quam in aqua: obtinere manus, pedes, &c.

Bonitas verò moralis est perfectio secunda naturæ rationali ad liberè agendũ elevatæ consentanea. Et ea se habet vel in ratione finis, vel in ratione mediorum. Actiones enim intermediæ habent se in ratione mediorum ad habitum generandum: habitus verò è voluntaria actionum consuetudine enati ad summum bonum acquirendum tendunt. Ac ita ut se virtutes habent ad finem ultimum in ratione mediorum, ita ad virtutes acquirendas tanquam ad finem intermedium actiones ordinantur.

E dictis

E dictis tria ad Boni naturam declarandam apprimè necessaria declarari possunt: 1 quæ boni in genere sit formalitas. 2. anne cum Ente reciprocetur, & 3. an bonum malum habeat oppositum?

Ad primum responderi facile è dictis potest, quod cùm dicat ordinem ad appetitum, appetitus verò ad non Ens non referatur, Bonum formaliter dicat Ens cum relatione addita ad appetitum. Ordo enim non est quid absolutum, sed dicit respectum: respectus verò ante se requirit subjectum cujus sit. Itaq; Bonitas est Entis ut subjecti, & quoniam & Ens & Bonum sunt Transcendentia, inde fit ut necessariò alterum in altero includatur: non ergo excluditur Ens à Bono. Bonum vero non est sine respectu, Ens verò de se respectum non includit: inde formaliter Ens cum respectu ad appetitum dicit Bonum. Et hæc de Bono transcendenti intelligi debent; aliàs bonitas naturalis & moralis possunt aliquid inferre re a subjecto distinctum, quomodo virtutes verbi gratia homini addunt perfectionem re ab homine differentem.

De secundo dicendum, quòd aliquid esse convertibile, accipitur dupliciter; uno modo in ratione essentiæ, alio modo in ratione suppositi. In ratione essentiæ converti ea dicimus, quæ præcise idem sunt simpliciter secundum eundẽ conceptum quidditativum, non attinendo secundum confusum & distinctum. Converti verò in ratione suppositi dicimus ea, quæ æquè latè patent secundum prædicandi modum. Priori modo converti dicimus definitionem & definitum, posteriori propria cum suis subjectis Ac ita dicimus, quod Bonum Transcendens convertatur cum Ente in ratione suppositi, non verò bo-

num pro perfectione secunda acceptum. Quod enim bonum Transcendens non convertatur cum Ente in ratione essentiæ, ex eo manifestum est, quia aliàs non esset affectio ejus, nulla enim affectio sive propriè sive impropriè dicta dicit eundem simpliciter conceptum essentiæ, cum eo cujus est affectio. Quod vero in ratione suppositi convertatur, clarum ex eo est, quia cum Deus creasset omnia, cognovit esse valdè bona, qua ipsa in essentiali bonitate cùm omnes res perstiterint, fit inde ut nihil quod includit entitatem, omnem omnino bonitatem excludat. Bonum vero in secundo modo acceptum, nec in ratione essentiæ, nec in ratione suppositi cum Ente convertitur. Possunt enim in naturalibus dari, quæ omnem naturæ convenientiam non observant: & in moralibus non semper agimus secundum rationis normam & præscriptum.

Inde jam de tertio facilè responderi potest: Dicendum enim bonum transcendens non habere malum oppositum, quia nullum Ens de se malum.

Datur vero malum naturæ, & malum moris, quorum utrumque dicit privationem ejus boni, quod in esse debebat. Illud tamen accidit impedimento naturæ. Natura enim producens intendit facere effectum, quem potest perfectissimum; impedita tamen facit quod tum potest. Non facit autem hoc omne quod debebat. Itaque juxta carentiam hujus debiti dicitur malum ipsius naturæ: ac definitur apud Joh. Altestaig, quod sit deformitas existens in aliquo Ente naturali, proveniens ex superfluitate vel diminutione naturæ, sicut cæcitas, claudicatio. Malum vero moris dicimus carentiam ejus perfectionis, quæ secundum rectam rationem in libero agente

agente est, ac hujus mali mensuram duplicem possumus habere ex opposito bono: vel enim juxta formalitatem ejus quæ est recta ratio, vel juxta finem, quatenus ex fine actionem metiri solemus: hoc loco non immerito quæri potest, Anne omnis boni remotio malum inferat? cum enim carentia & remotio videantur esse synonyma malum utique æque per remotionem, ac per carentiam boni, difiniri posse videatur. Hic dicendum secundum. Thom, 1. p. q 48. art. 3. Quod remotio boni alia sit negativa, alia privativa. Negativam eam dicimus, quæ simpliciter tollit nulla subjecti habita ratione, & hæc remotio quandoque subjectum simul tollit cum attributione malitiæ: quomodo mors dicit remotionem boni, destructionem scilicet ipsiustotius quod erat: & ejusmodi remotio boni non infert malum: mala enim dici hoc modo possent ea etiam, quæ nullo modo essent, & quælibet res mala diceretur, ob carentiam scilicet cujuscunque boni, etiam alterius rei, quomodo verbi gratia, homini malum esset non certare posse cum aquila visu, cum leone fortitudine. Privata vero remotio est carentia boni, quod subjecto inesse debebat, ita verbi gratia, malum est homini, non esse præditum virtute, seu à virtute deficere. Itaque synonyma non sunt remotio boni & carentia; sed habent se ut superius & inferius, ut carentia omnis etiam removeat, sed non omnis remotio carentiam inferat. Hinc jam sequitur, quod malum non possit esse nisi in bono; cum vero non quamlibet remotionem dicat, sed tantum remotionem à certo subjecto, semper connotatur aliquod bonum, in quo inesse debitam bonitatem conveniebat, quam

non inesse infert bono subjecto attribui boni debiti carentiam. Unde etiam est apud Lombardum in 2. Sent. dist. 14. cum dicitur homo malus, nihil aliud significatur, nisi malum bonum.

Subjungemus huc sub finem quasdam alias boni divisiones, præter eam, qua superius bonum in transcendens, moris & naturæ bonum divisimus. Sunt vero reliquæ boni divisiones usitatissimæ tres.

Primo Bonum aliud est vere, aliud apparenter bonum, ut docetur apud Tho. 2. 2. q. 23. ad 7.

Bonum verum illud est, quod quantum in se est, ordinabile est ad principale bonum, quod est ultimus finis: idque prout sua natura bonum est, ita cognoscimus & appetimus, ut qui virtutem appetit, ut ea mediante possit bene vivere.

Bonum vero apparens est, quod abducit à finali bono, hoc est quod appetitum movet non ut est in re, sed ut apparet esse, ut libido movet appetitum sub ratione boni delectabilis. Nam ut finem, ita & bonum aliud ὄντως seu enter, aliud φαινομένως seu apparenter bonum esse dicimus. Qui enim se ipsum interficit mortem appetit, non quia bona est, sed quia videtur esse bona, ut seipsum eripiat è calamitatibus, vel ex alio aliquo malo, cujus respectu mortem eligit, ceu quid melius. Quomodo Cato seipsum interficit, quia videre non potest Cæsarem Romæ regnantem. Et Lucretia, quia non potest ferre stupri infamiam. Quomodo vero hoc ipsum bonum apparens appetitum moveat, egregie docuisse videtur Gabriel in 2. dist. 36. q. unic. art. 1. not 1. quando bonum distinguit è duplici affectione justi, & commodi. Bonum enim ex affectione justi illud est, quod appetimus juxta conformitatem rectæ rationis, & hoc bonum

verum

verum est. Bonum vero apparens metimur ex affectione commodi: Commodum vero dicimus latius, ut se extendit ad utile & delectabile: quædam enim ex apparentibus desideramus sub specie delectabilis, quædam vero sub specie utilis. Ita in libidines feruntur sub delectabilis, in furtum sub utilis ratione. Ac ita malum appetimus, non sub specie mali, sed apprehendimus sub specie boni.

Hinc eleganter August. Confess. lib. 2. cap. 5. cum de facinore, inquit, quæritur, qua causa factum sit, credi non solet, nisi cum appetitus adipiscendi alicujus illorum bonorum, quæ infima diximus, esse potuisse apparuerit, aut metus amittendi. Homicidium fecit, cur fecit? Adamavit ejus conjugem, aut prædium, aut voluit deprædari unde viveret, &c. Nec ipse igitur Catilina amavit facinora sua, sed utique aliud, cujus causa illa faciebat.

At enim, inquis, malum est non Ens, cujus ut nulla cognitio, ita nec appetitus. Hic primo dicendum: quod malum abstractive sumptum tametsi positivum nihil sit, at malum concretive acceptum etiam aliquid positivum includit. Et hoc modo furtum appetimus non ratione deformitatis ejus, quæ in furto est, ea enim dicit privationem & non Ens, sed sub ratione boni ejus quod furto auferimus, quod sub specie utilis apprehenditur. Unde secundo loco dicimus cum Scalig. exerc. 307. sect. 24. Esse hunc appetitum apparentis boni, appetitum non directum ratione, qui cum rem ut apparet apprehendit absque ulla judicii discretione, jam ma'a mixta bonis appetere facile potest. Tertio addamus & hoc, esse voluntatem, sed è mala intellectione ortam. Quam multis quidem, sed

potis-

potiſſimum tribus modis evenire poſſe Scalig. docet: primo enim poteſt appetere in genere, non autem in propria ratione, & ratiocinatur è duabus affirmativis in ſecunda figura: vel ponit argumentationis fundamentum ſuper inductione. Vt qui rem honeſtam dicit eſſe appetibilem. Libidinem vero appetibilem ſubſumit. Alius modus eſt, cum ponit primo effatum impoſſibilitatis, ponit deinde alia, quæ non connectuntur. Vt qui impoſſibile eſſe intelligat cum infamia & dedecore vivere, vitam ergo propria manu eſſe auferendam colligeret. Tertius modus eſt, cum illud axioma pronunciat dubitanter, ideoque dat locum ſubeunti appetitui. Quomodo lapſum primorum noſtrorum parentum eleganter depingit Magiſter ſententiarum in 2. diſt. 2. attende, inquit, ordinem ad progreſſum perditionis humanæ. Primo Deus dixerat, quacunq; die commederitis ex arbore, morte moriemini. Deinde mulier dixit ne forte moriamur. Noviſſime Serpens dixit, nequaquam moriemini. Deus affirmavit, mulier quaſi ambigendo illud dixit. Diabolus negavit. Quæ ergo dubitavit, ab affirmante receſſit, & neganti appropinquavit. *Et* in hunc fere modum intelligi debet, quod dicebamus, bonum aliud eſſe vere, aliud apparenter bonum.

Secunda diviſio eſt, quod aliud eſt bonum ſimpliciter, aliud bonum alteri, ſeu ad aliud, ut docet Ariſt. in 7. Eth. cap. 12. & in 8. Ethic. cap. 7. Thomas in 2. diſt. 27. quæſt. 1. artic. ad primum. Scotus quodlib. 18.

Bonum ſimpliciter non uno modo dicitur, ut annotavit ſubtiliſſ. Duns in 3. diſt. 33. Vel enim ſimpliciter bonum dicitur, ut diſtinguitur contra bonum apparens, eo modo quo ſuperius dixi-

diximus, aliquid dici bonum vere: vel ut distinguitur contra bonum in singulari. Illo modo dicit Aristot. in 5. Ethic. cap. 2. Justum versari circa bona in quibus fortunæ prosperitas & adversitas consistit, quæ semper quidem ac simpliciter bona sunt, quibusdam tamen non semper bona evadunt: hoc est, divitiæ non sunt bonum apparens sed quid vere bonum. Ac hujus boni certi quidam gradus statui possunt, ut docet *M*agister in 2. distinct. 26. dicuntur enim alia magis, alia minima, alia media bona. Quæ bonorum distinctio in magna, media & minima desumpta est, ex Aug. lib. 1. Retract. c. 9. Magis bona simpliciter ea dicuntur, quæ nunquam & nulli fieri possunt mala, ut sunt honestum, virtus, felicitas, ea enim nemini mala evadunt: bona minima, quæ in ultimo gradu bonitatis sunt, ut sunt deliciæ, lusus, & hujusmodi alia. *M*edia quæ de se quidem simpliciter bona sunt, alicui tamen possunt fieri mala, ut citato 5. Ethic. cap. 2. docuit Arist. Posteriori vero modo dicimus bonū simpliciter, non quod distinguitur contra bonum apparens sed contra bonum in singulari, hoc est, dicimus bonum simplicitur bonum in universali, ut est adæquatum objectum voluntatis. Voluntas enim non tantum in vere bonum, sed & in bonum apparens fertur: ac non est determinata ad hoc & illud singulare bonum, sed ad omne quod quoquo modo bonum est.

Potest & alio modo bonum simpliciter dici, quod est bonum per essentiam: Et ita distinguitur à bono quod est per participationem. De hoc elegans est illud Boetii: Sola Trinitas est summū bonum, quod purgatissimis mentibus cernitur, alia omnia ab ipso sunt bona per partiticipationem.

Potest

Poteſt & ſimpliciter bonum dici quod eſt ſummum bonum: eò quod in ſe eminenter tenet bonitatem, & quæcunque eſt aliarum rerum bonitas, ea ad ſummum bonum, ceu media ad finem, ordinatur. Ejuſmodi ſummi boni diviſiones variæ ſunt. Ariſtot. in 10. Eth. cap. 7. & 8. duplex facit ſummum bonum: civile, & ſpeculativum: Hoc ſeparatum dicitur & mentis eſt; Illud ex operationibus virtutis eſt. De civili bono intelligendus eſſe videtur Ariſt. in 1. Eth. cap. 7. quando definit operationem animæ ex virtute, ſi plures ſint virtutes ex optima & perfectiſſima. De ſpeculativo vero Averr. in libr. de Beat. animæ, quando beatitudinem animæ dicit conjunctionem intellectus abſtracti cum anima humana. Et de hac egit in proœmio Phyſico, & in digreſſione 3. de an. text. 36. Hoc ſenſit Lud Buccaferrea lect. 3. Phyſ. Ariſtot. quando duplicem facit hominis, qua homo eſt perfectionem unam primam, aliam ſecundam. Primam dicendo, quæ eſt in operationibus quæ ſunt in poteſtate noſtra: Secundam, quæ eſt ſpeculatio ſive operatio circa perfectiſſimum Ens, quod eſt Deus. Et Lambertus in 2. Phyſ. ad text. 58. quando felicitatem quandam dicit primariam & principalem, quam de ſententia Ariſt. dicit conſiſtere in operatione optimæ potentiæ, circa optimum objectum: aliam ſecundariam, quam ponit in operatione prudentiæ, ſecundum quod in ea omnes virtutes connectuntur, ut docetur in 6. Eth. cap. 13. Alias hujus boni diviſiones multas ſtudio prætermiſimus, partim quia ea de re diſputare præſentis loci non eſt, partim etiam, quia ea de re in Ethicis commentariis pluribus egimus.

Tertia diviſio boni eſt, quod aliud ſit utile, aliud

aliud honestum, & aliud delectabile, quæ docetur apud Antonium 1. p. su. maj. tit. 13. cap. 2. ¶. 9.

Ejus divisionis fundamentum docetur apud Arist. in 2. Moral. cap. 3. Ubi docet, quod tria sint quæ in electionem cadunt, honestum, utile, & jucundum. Et 7. Moral. Eudem, c. 3. dicit; bonum multifariam dici, alia enim esse utilia, alia jucunda, alia simpliciter bona. Bonum vero utile illud dicitur, quod est medium ordinatum in alterius boni consecutionem. Hoc in Platonis Hippia majori Socrates docet, ubi dicit ad Hippiam, nonne quod efficere aliquid potest, ad illud utile est, quod hoc effici potest. Et proponit utile ad inveniendum pulchrum ceu medium. Hinc apud Marsilium in argumento ad dictum dialogum definitur Utile, quod potentiam ad aliquid faciendum habet. Ita etiam apud Arist. 1. Meta. tex. 7. docetur, cujuscunque artis inventorem admiratos homines, non solum quia inventum utile esset, verum ut sapientem & cæteris præstantem. Ac cum plures artes invenirentur, quarum aliæ ad necessaria, aliæ ad degendum essent, semper tales sapientiores illis haberi, quod eorum scientiæ non ad utilitatem essent. Hic utiles artes eas vocat, quæ ad aliquid aliud acquirendum ordinantur: in iis enim esse bonum utile, ut id ipsum fusius docet Averr. in Comm. ad dict. textum.

Bonum vero honestum definitur apud Aver. 1. Met. cont. 7. quod sit illud, quod quæritur propter se ipsum. Hoc sensu in argumento Marsilii ad Platonis Theœtetum, honestum dicitur essentialium principium ac finis, ut ad quod ordinata sint ea quæ utilia dicuntur. Unde in 1. Rhet. Arist. cap. 4. bene dictum est, honestum

esse

esse quod per se eligibile est & laudabile, aut quod cum bonum sit idcirco jucundum est, quoniam bonum. Ac Cic. 1. Acad. quæst. cum multa alia egregie, tum inprimis de hoc bono agebat: Zeno, inquit, nullo modo is erat, qui ut Theophrastus, nervos vertutis incideret, sed contra, qui omnia quæ ad beatam vitam pertinerent in una virtute poneret, nec quicquam aliud numeraret in bonis, id appellaret honestum, quod esset simplex quoddam & solum, & unum bonum. Et in 3. de finibus concludit, illud solum bonum esse, quod honestum sit, idque esse beate vivere & honeste. Hic tamen prætereundum non est: bonum honestum duobus modis dici apud Fr. Suaretz disput. Met. 10. s. 2. Vno modo strictè, & ita idem erit, quod bonum morale: & definitur, quod sit id, quod per se decet, & est consentaneum naturæ rationali, quomodo operationes secundum virtutem dicuntur operationes humanæ in 10. Eth. cap. 8. & ita excludit bonum naturæ. Alio modo latius accipitur, quod sit illud, quod per se, perficit naturam etiam seclusa ratione virtutis: hoc modo satis improprie accipi videtur. Namq; & esse & vivere, & sentire eo modo in honestis bonis numerantur.

Bonum delectabile illud dicimus in quo ceu termino desiderium, & concupiscentia quiescit: ejus formalis ratio delectatio est & suavitas, qua hominem efficit, in rebus non tantum commodis & honestis, sed etiam incommodis & inhonestis. Et hoc bonum variatur pro diversitate voluptatis. In omni vero sensu voluptas est, in omni item intellectione & contemplatione, ut docet Arist. 10. Moral. cap. 4. Hæc de bono in præsenti dicta sufficiant.

CAPVT.

CAPVT. VIII.

De divisione Entis ut æquivoci in æquivocata.

I.

Divisio Entis est vel secundum nomen, vel secundum rem.

2. Divisio Entis secundum nomen est, ut æquivoci in sua æquivocata.

3. Ea duplex est: 1, Ens vel est reale, vel rationis Ens 2. Ens est vel per se, vel per accidens.

4. Ens reale est: vel Ens ut distinguitur contra ens ab intellectu factum, vel ut distinguitur contra Ens non existens actu. Cajet.

5. Ens reale priori modo acceptum est, quod non tantum objective dependet ab intellectu. Et ita Ens in potentia est Ens reale, quando est in virtute suarum causarum.

6. Et hoc sensu inter Ens reale, & Ens rationis medium nihil est.

7. Ens reale posteriori modo acceptum est Ens revera existens in rerum natura, prout consideratur extra suas causas.

8. Et hoc modo Ens in potentia Ens reale non est.

9. Et hoc modo datur medium quid inter Ens reale & Ens rationis.

10. Ens rationis accipitur vel intransitive, vel transitive.

11. Ens rationis intransitive acceptum est Ens, quod est ratio seu intellectus, & hoc modo contra reale non distinguitur.

12. Transitive acceptum tripliciter dicitur: subjective, effective, & comparative.

13. Ens rationis subjective, est Ens quod est in intellectu, ut subjecto: quomodo entia rationis possunt dici species intelligibiles.

14. Ens

14 *Ens rationis effective est, opus ab intellectu & ratione productum, quomodo artificialia dicuntur entia rationis. Et hæc duo genera etiam esse reale, non purum esse rationis designant.*

15. *Entis rationis comparative est, quod objective tantum est in intellectu, factum est operatione comparativa intellectus, hoc est, cujus non est propria species intellectu à rebus accepta, sed species facta è comparatione specierum rerum in natura existentium, quomodo mons aureus nascitur è comparatione species montis & auri.*

16. *Et hoc postremo modo intelligitur ens rationis simpliciter acceptum. Vide Carolum Billeum Siculum de intent. secund. pag. 72, 73, 74.*

17. *Ens vero per se duplicis generis, est; Est enim per se vel in ratione entis, vel in ratione effectus,*

18. *Ens per se in ratione entis, est ens non aggregatum è diversis actu naturis, sed quod Unius est naturæ & essentiæ.*

19. *Dico è diversis actu naturis: Et si enim per se è diversis naturis, esse potest, earum tamen una habet rationem potentiæ per se ordinatæ ad hunc actum, & contra.*

20. *Itaque Ens per se vel simplex, vel compositum.*

21. *Simplex expers est multitudinis naturarum: Compositum contra, ut: angelus, homo.*

22. *Ens per se ratione effectus est, ad quod producendum agens per se concurrit: Ita est ens per se quod vel à natura, vel ex intentione voluntatis est productum.*

23. *Eodem modo ens per accidens, vel est in ratione entis, vel effectus.*

24. *Ens per accidens in ratione entis, quod est res diversorum generum.*

25. Hoc

25. *Hoc habet gradus pro generum ab invicem distantia.*

26. *Ens per accidens in ratione effectus est, vel Casus, vel Fortuna.*

27. *Casus in naturalibus: Fortuna in voluntariis.*

28. *Quod vero dicitur: Omne per accidens reduci ad aliquam causam per se, id dextre intelligendum est. Non enim verum est omne per accidens habere aliquam sui causam per se. Sed verum, quod vel ponatur conjunctim cum eo, quod est per se causa: vel quod ad causam primam, Deum scil. reducatur, à cujus providentia ut nulla omnino res est sejuncta, ita nihil omnino ejus respectu in natura frustraneum est & fortuitum. Vide Scotum in 4. Metaph. q. 2. & Antidoti mei lib. 1. cap. 26.*

COMMENTARIVS.

POstquam de Entis principiis & affectionibus diximus, breviter etiam divisiones ejus attingemus. Potest autem Ens variis modis sub divisionem cadere, sed potissimum quatuor. 1. Dividitur in nomen æquivocum in sua æquivocata: 2. Per modos intrinsecos & differentias analogas. 3. Juxta passiones: & 4. Per quidditates.

Et hos quatuor entis dividendi modos posuit Zimara solut. Contradict. Arist. & Averr. 6. Metaph. Contrad. 1. Commento 1. hujus 6. (Metaph.) habetur, inquit, quod ens dicitur prima sui divisione in per se & per accidens. Sed in 5. Metaph. t. cap. 14. ens primò dividitur in 10. prædicamenta 1. Phys: t. cap: 6. primo dividitur per finitum 3. Phys: t: cap: 3. primo dividitur

videtur per finitum. 3. Phys. t. cap. 3. primo dividitur per actum & potentiam. Solvitur: plures sunt divisiones entis primæ: tamen quælibet est prima in suo genere. Quædam est divisio entis in partes subjectivas, sicut est divisio entis in decem prædicamenta. Quædam est divisio entis in passiones, sicut divisio entis per unum & multa, per necessarium & contingens. Quædam est divisio entis per modos, seu analogas differentias, modo loquendi Averr. sicut est divisio entis per actum & potentiam. Est etiam divisio entis in anima & extra animam: & ista divisio, ut peritissimis in hac arte videtur est vocis æquivocæ in suas significationes. Ita ille.

Primus divisionis modus, entis scil. ut æquivoce in sua æquivocata, duplex est: vel enim dividitur Ens in reale & rationis: vel dividitur in Ens per se, & per accidens.

Ens reale dupliciter accipitur, ut annotavit Cajetan. de unitate naturæ. uno modo ut distinguitur contra Ens ab intellectu fabricatum: ita realia dicuntur esse omnia ea quibus non repugnat actus essendi, seu quæ sunt præter intellectus nostri conceptum. Hoc modo etiam ea, quæ sunt in suis causis, dicuntur Entia realia quatenus sunt in potestate proxima, ad hoc, ut producantur extra suas causas. Alio modo reale dicitur, ut distinguitur contra non existens actu. Et ita Ens reale hoc tantum dicimus quod existit extra suas causas. Etsi vero secundum Thomam in quæst. de potentia Dei q. 3 art. 3. ad secundum: Res antequam existit, nihil est, & per Arist. in Categ. c. de subst. destructis substantiis primis, impossibile est aliquid cæterorum remanere: nihilominus tamen

men in eam prolabi sententiam non debemus, ut substantias secundas, & quæ sunt alia Entia habentia essentiam in potentia causarum, prorsus ad entia rationis relegare velimus. Ita cum definitiones, demonstrationes, & quæ sunt reliquæ propositiones necessariæ, si fierent rebus non existentibus, essent purum putum animi figmentum. Itaque dicendum, quod si Ens in universum dividatur in reale & rationis, entia realia ea omnia dici, quorum conceptus non est tantum per puram mentis nostræ operationem, & ita abstrahere Ens reale ab Ente in potentia & actu. Quod si vero reale hoc tantum dicamus quod existit actu: divisionem Entis in reale & rationis non æquare omnem Entis conceptum sed esse intermediam quoddam ens, ens nimirum in potentia, quod nec est purum rationis ens, est enim in visceribus suarum causarum nec purum ens reale, non enim extra suas causas est.

Ens rationis etiam non uno modo accipitur, ut docetur apud Soncinat. 6. Metaph. q. 18. Constant. Sarnan. direct. Theol. pag. 154. Gerhardum de monte ad Tho. de ente & ess. Lambertum de monte dom. 1. de anima t. 8. Est enim 1. Ens rationis ut conceptum: dicimus hoc, quod in ratione seu intellectu est subjective, quomodo sunt habitus, species intelligibiles, &c. 2. Ens rationis ut factum dicimus, quod est factum per rationem: & fit aut per rationem practicam, quatenus scil. fit juxta exemplar hoc, quod in mente artificis est, quomodo omnia artificialia possunt dici entia rationi, 3. aut per rationem speculativam, hoc est, quod tantum objective in mente est, seu ut sunt verba Johannis Altestaig, quod terminat

solum

solum intellectum, nec existit in rerum natura. Quæ duobus prioribus modis sunt Entia rationis, ea non contra distinguuntur ab Ente reali: domus enim quæ fit ad exemplar artificis est quid reale, & habitus intellectuales non sunt puri conceptus. Verum tertio modo, quæ dicuntur Entia rationis, ea nunquam sunt realia; & ita Ens reale & rationis à se invicem distinguuntur, & super omnem Entis conceptum cadunt, prout ens reale dicitur, quod habet rationem communem substantiæ & accidenti. Ens vero rationis, quod non nisi per rationis conceptum est, seu quod tantum fit per comparationem passivam, qua per intellectum Unum objectorum cognitum ad illud objectum cognitum comparatur: quomodo aureus mons est è conceptu & comparatione montis & auri.

Ens etiam per se & per accidens dicimus duob. modis, ut post Joh. Duns in 6. Met. q. 2. annotavit Socinas 6. M. q. 13. & 7. Met. q. 34. & Fr. Suarez. disp. Met. 4. Sect. 3. num 1. & 2. dicitur enim Ens per se & per accidens, vel in ratione entis, vel in ratione effectus. Ens per se in ratione Entis, possumus cognoscere dupliciter: vel enim ad ordinem prædicamentalem, & quod hoc consequitur in ordine ad definitionem. In prædicamentis enim ea tantum reponunt, quæ ea tantum habent, quæ ad essentiæ perfectionem intrinsecè requiruntur. Et hoc videtur Aristot. innuere, quando in 5. Metaph. tex. 14. per se esse dicit, quæcunque significant prædicationis figuras, easq; enumerat secundum quid, secundum quale, secundum quantum, secundum ad aliquid, facere, pati, ubi & quando, situs & habitus. Per definitio-
nes

nes vero cognosci possunt Entia per se, quia definitiones statuuntur entis, non quia est existentia cum adjunctis accidentibus, seu qua est hic & nunc, sed simpliciter qua est in tali specie: eo vero modo dicitur aliquid esse *E*ns per se. Possumus secundo etiam Ens per se cognoscere in ordine ad unitatem, quæ enim sunt per se unum, ea etiam Entia per se dicenda sint: & hoc modo Ens per se est, vel simplex, vel compositum. Ut enim unum quoddam est indivisum actu, divisibile in potentia, quoddam vero simpliciter indivisibile cum exclusione omnis potestatis ad divisionem: ita Ens quoddam statim seipso est quod est, per exclusionem omnium rerum ex quibus fit, quoddam vero per alia non tamen per alia quæ sint aliorum prædicamentorum, sed per alia, quæ ad hujus essentiæ complementum & integritatem faciendam ordinata sunt. Et hoc modo intelligitur quid sit Ens per se in ratione Entis. Huic Enti per se opponitur Ens per accidens. De *E*nte vero per accidens aliter loqui Meta. aliter Logicum, docet Joh. Duns 1. Sent. dist. 29. *sect.* ad aliud dico. *M*etaphysicus enim dicit ens per accidens, quod in se includit res diversorum generum: Logicus vero propositionem dicit per acidens, cujus subjectum non includit rationem inhærentiæ prædicati, & si ex duobus talibus fiat unus conceptus, quorum neuter est per se determinativus alterius, dicit illum conceptum esse unum per accidens. Circa priorem modum entis per accidens sciendum quod cum Arist. dispescat in tria genera ut videre est. 5. Met. tex. 13. quædam enim dicuntur, quoniam eidem Enti ambo insunt, quædam quoniam illud (accidens scilicet) enti

(subjecto

(subjecto scil. suo) inest: quædam quoniam ipsum est cui inest, de quo ipsum prædicatur, hoc est, cum sujectum dicitur de accidente. Primi exemplum est, verbi gratia, dulcedo & flavedo in melle, ut dulce est flavum: secundi ex homine & virtute, v. g. Justitia, fit unum per accidens homo justus. tertii exemplum est, risibile est homo.

Circa secundum sciendum, quod etsi in creaturis semper prædicatio per accidens Logica ante se requirat prædicationem per accidens Metaphysicam, eo quod in iis quæ non se habent per modum prædicationis per accidens, semper unum est alterius determinativum. In divinis tamen putat Scotus haberi prædicationem per accidens Logicam, quæ Metaphysica est per se, quia una per se persona est, quæ est & Deus & *Pater*: verum Logicus qui attendit unum esse conceptum Deitatis, & alium paternitatis, considerat unum conceptum esse extra conceptum alterius, nec unum esse alterius determinativum. Pater enim non determinat Deum: Natura enim deitatis quoniam est formaliter infinita nullarum omnino determinationum est capax, sed hypostases seu supposita determinantur. Inde fit ut quoniam Deitatis & Paternitatis conceptus extra se invicem inferuntur, nec alter alterum determinat, Logico per accidens haberi possint. Qua de re tamen quid sit sentiendum alio loco plenius statuemus.

Ens per se & per accidens in ratione effectus est, quando dependentia unius ab alio in ratione causalitatis est vel per se, vel per accidens. Hoc vero modo Ens per accidens potest esse Ens per se in ratione Entis. Quoniam Ens hoc modo non dicitur qua Ens, sed qua Ens in fieri

fieri à tali vel tali causa. Ens ergo per se hoc modo est unum naturale, aliud voluntarium. Hoc intentione agit, agit enim cum prævia cognitione sui effectus, ad quem producendum quoniam media per se adhibet, eum propria intentione producere dicitur. Naturale vero agens, etsi non agat sine cognitione superioris agentis, à quo inclinatur ad præsentem effectum producendum: ipsum tamen ejusdem producendi cognitione dici non dicitur, sed tantum inclinatione. Inde dicitur propria virtute agere: quoniam scil. pro ordinaria ea potestate, quæ à primo agente ipsi est indita, effectum hunc producit. Dico agentis: intrinsecæ enim causæ non possunt per accidens ad effectum producendum concurrere, quoniam seipsis effectum constituunt, hoc est, ex intrinseco concursu utriusque causæ necessario ac per se oritur compositum. Finis vero aliquis potest esse accidentarius, sed quoniam ab agente accidentaliter intenditur. Itaque perseitas vel accidentalitas ipsius effectus tota ab agente dependere videtur: agens enim vel per se, vel per accidens potest concurrere, quia vel propria virtute & intentione, vel per accidens agit. Ens vero per accidens hoc modo est, quod evenit vel præter intentionem talis causæ aliud intendentis, vel ex minori parte ab ea fit, vel ei per accidens est conjunctum. Præter intentionem fit effectus fortuitus: fortuna enim in effectib. voluntariis dominatur, quibus si conjungatur effectus, verbi gratia, cum fossione voluntaria thesaurus inventus, effectus fortuitus per accidens dicitur. Minori ex parte fit effectus, quando natura egit & contendit producere effectum perfectissimum, sed impedita debi-

tum cursum expedire non potest, unde monstra casu evenire dicuntur. Casus enim in naturalibus dominatur. At per accidens conjuncto dicitur dependere Ens per accidens, quando ei, quod accidit causæ, causæ denominationem attribuimus, ut Musicum ædificare. accidit enim homini esse Musicum, qui idem architectus sit, & homo architectus, per se causa domus est, per accidens vero causa domus quà musicus est, quia non qua musicus ædificat, sed quà architectus. Vide Lamb. de mont. Dom. c. Phys. ad text 37. & Armandum de Bello visu 2. tract. c. 246. Ac tantum de divisionibus Entis æquivoci in sua æquivocata.

CAPVT. IX.

De Divisionibus Entis, è modis intrinsecis & passionibus desumptis & in specie.

DE POTENTIA ET ACTV.

I.

DIVISIO *Entis secundum rem fit vel juxta modos intrinsecos, vel juxta quidditates entis particulares.*

2. *Modi intrinseci sequuntur vel Ens quatenus Ens vel Entis passiones.*

3. *Priori modo dividitur Ens ratione potentiæ & actus: & juxta eas quæ hinc proxime sequuntur divisiones.*

4. *Ens in potentia est, vel in essendo, vel in agendo.*

5. *Ens in potentia in essendo est, cui non repugnat esse in rerum natura.*

6. *Estque vel objectiva, vel subjectiva:* Vide *Soncin. 6. Met. q. 17.*

7. Potentia

7. *Potentia objectiva est res, quæ est objectum alicujus potentiæ productivæ.*

8. *Potentia vero subjectiva est potentia, quæ ordinata est ad formam, cui substernitur.*

9. *Ea vero potentia objectivæ & subjectivæ ratio est, ut quandoque re conveniant, quandoque separentur. In generabilibus res dicitur esse in potentia objectiva, prout est in ordine ad agens; est vero in potentia subjectiva, quoad requirit aliquod subjectum, è quo fiat. Separari autem possunt, ut in creabili, ubi est potentia objectiva & non subjectiva, quia ibi non subjicitur aliquid. Vide subtiliss. Duns in 2. distin. 12. q. 1. sect. est igitur videndum, & Soncin. 9. Met. q. 2. Zimarum in solut. contrad. Arist. & Averr. 9. Meta. contrad. 3.*

10. *Potentia subjectiva vel est obedientialis, vel naturalis. Vide Thom. q. disp. q. 1. de pot. Dei art. 3.*

11. *Potentia obedientialis est potentia in subjecto natura indisposito ad actum recipiendum nisi à superiori agente, cujus potentiæ activæ cedit & obedit, ut est potentia activa Dei. Ejusmodi potentia obedientialis erat in aqua ut ex ea fieret vinum Ioh. 2. Et notatur Mat. 3. v. 9. quando Ioh. ait: ne dicite intra vos: patrem habemus Abraham: dico enim vobis, quod potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ.*

12. *Potentia naturalis est, quæ vi & potestate naturæ ad actum potest deduci.*

13. *Ea vel est remota, vel propinqua. Averr. Epit. Met. tract. 3. p. 385.*

14. *Remota est, quæ non exit in actum, nisi priusquam accesserint propinquæ dispositiones, adveniente subjecto ultimo. Ea potentia est in puero ut fiat Doct. & in frumento, ut fiat homo.*

15. *Potentia propinqua est, quæ in subjecto ultimo posita & non impedita proxime potest exire in actum: quomodo in semine potentia propinqua est homo.*

16. *Potentia in agendo, est vis producendi aliud in quantum aliud.*

17. *Ea est vel naturalis, vel voluntaria.*

18. *Naturalis est, quæ positis omnibus ad actum requisitis, & non impedita necessario in actum deducitur, ut est vis calefaciendi in igne. Vide Aver. 9. Met. com. 10.*

19. *Voluntaria est, quæ omnibus ad agendum requisitis positis, in agendo est indifferens posse agere & non agere, & hoc vel illo modo agere, Vide Aug. Niphum Suessum dester. Aver. disp. Met. 3. p. 80.*

20. *Potentiæ respondet actus: ea enim est actus descriptio apud Arist. 9. Met. t. c. 11. ut res non sit in illa dispositione, secundum quam est in potentia. Et hinc quot modis dicitur potentia, tot modis actum dici necesse est.*

21. *Est ergo actus qui respondet potentiæ objectivæ & actus qui respondet potentiæ passivæ, & actus qui respondet potentiæ activæ, Suarez disp. Meta. 13. sect. 5. n. 3.*

22. *Actus qui respondet potentiæ objectivæ est actus, secundũ quem quidq; existit in rerum natura extra suas causas: alio nomine dicitur Existentia.*

23. *Eam describit Pererius lib. 6. de formis c. 13, quod sit modus quidam rei quo res dicitur esse extra nihilum, & suis causis producta, & actu esse in mundo.*

24. *Ea considerari potest vel respectu essentiæ, vel respectu subjectorum quibus tribuitur.*

25. *Respectu essentiæ consideratur distinctio, & seperabilitas.*

26. In

26. *In distinctione consideratur dum quæritur quomodo differat ab essentia?*

27. *Et Thomæ sententia est essentiam & existentiam differre realiter. Verum nos in universum negamus, ab ulla essentia realiter differre existentiam: in specie vero concedimus, alicujus rei existentiam sola ratione, alicujus è natura rei differre: illud de simplicibus asserimus, hoc de compositis.*

28. *Separabilitas consideratur, an separatim esse utrumque possit? Qua de re ita statuimus: abstrahi essentiam ab existentia posse, non contra: Separari vero non posse.*

29. *Respectu subjectorum existentia:* 1. *est vel substantiarum, vel accidentium* 2. *vel rei universalis vel singularis.*

30. *Substantiis, iisque singularibus primaria quadam ratione convenit existentia, juxta illud Arist. Sublatis substantiis primis nihil remanere reliquorum, in Categ. cap. de subst.*

31. *Verum nec sua deneganda est Accidentibus plane existentia, omni inexistentia natura prior: & universalibus, quibus et ipsis suam existentiam tribuimus; quum enim actu sint in singularibus, existant in rerum natura necesse est.*

32. *Utrumque enim horum suum etiam agendi modum obtinet: agere vero non posset, nisi existeret.*

33. *Hinc jam colligitur, Existentiam de se nec esse substantiam, nec accidens, nec universale, nec singulare quid: sed à quovis horum abstrahere, est enim quid transcendens.*

34. *Cum existentia coincidit actus* Entitativus: *quem materiæ denegari nulla ratione posse putamus, cum Scoto in* 2. *d.* 12. *Erronea enim est Thomæ sententia, censentis, materiam esse puram potentiam.*



35. *Et*

35. *Et hinc tametsi materia & forma separatim non existant: propria tamen materiæ est existentia distincta ab existentia formæ. Tantum de actu, qui respondet potentiæ objectivæ: sequitur actus respondens potentiæ passivæ.*

36. *Actus respondens potentiæ passivæ est forma, quæ dat esse subjecto, in quo recipitur.*

37. *Secundum hunc actum res unaquæque determinatur ad certam speciem sub suo genere, unde actus specificus non immerito appellari potest.*

38. *In hoc actu spectatur unio seu informatio, & actus formalis.*

39. *Vnio est conjunctio actus cum potentia passiva, ut ea mediante res de potentia ad actum deducatur.*

40. *Et hæc est causalitas formæ respectu materiæ: de qua dixit eleganter Fr. Suaretz. disput. Meta. 15. f. 11. num. 8. Vera ac propria causalitas formæ nunquam est respectu compositi, nisi primo & immediate exerceatur circa aliquod subjectum, ex quo & formâ compositum resultat.*

41. *Actus formalis est effectus immediate consequens formam unitam subjecto, à forma inseparabilis, quomodo esse humanum est actus seu effectus formalis animæ rationalis.*

42. *Actus respondens potentiæ activæ est actio, quæ proficiscitur ab agente, secundum quod agens est potens eam actionem producere.*

43. *Quum vero in actione duo sint: actio ipsa, & terminus actionis: illa propriè dicitur actus potentiæ activæ, hæc non nisi improprie.*

44. *Actus vero acceptus pro operatione accipitur plerumque pro operatione interiori: unde actus pro operatione acceptus, dividitur in actum elicitum & imperatum.*

45. *Actus elicitus est actus, qui immediate pro-*

proficiſcitur ab aliqua potentia ſine alterius concurſu: quomodo actus voluntatis dicitur elicitus, qui à voluntate immediate proficiſcitur.

46. *Actus imperatus eſt, qui proficiſcitur ab aliqua potentia ad imperium alicujus potentiæ ſuperioris: ita actus facultatis ſenſitivæ dicitur imperatus à voluntate. Et tantum de potentia actu.*

COMMENTARIVS.

ANtequam de diviſionibus Entis ex modis intrinſecis & paſſionibus deſumptis dicamus, explicanda prius duo veniunt: alterum, quid dicamus modos intrinſecos, alterum, quomodo è paſſionibus diviſiones quaſdam dicamus. Circa prius dicendum, quod vocabulum Modi non uno modo uſurpatur: quandoque enim modi dicuntur quæcunque entia determinantia rem aliqua ratione, ſive re ab ea diſtinguantur, ſive tantum è natura rei. Ita albedo & dulcedo apud Fonſ. modi dicuntur ejus, cui competunt. Quandoque vero & magis propriè modi dicuntur, quæcunque ita cum Ente ſunt unita & affixa, ut nec quoquo modo ab Ente vel ſeparari, vel ſeparata conſervari poſſint, nec aliquam à re cujus modi ſunt diſtinctā eſſentiam inferant: unde non proprie & in rigore Entia dicuntur, ſed tantum in latiore quadam ſignificatione. Ita modus ſubſiſtendi de ſe non dicit Ens diſtinctum à ſuppoſito, ſed dicit ipſam ſuppoſitalitatem, (ut ita loquar) quatenus eſt in ultimo actu non dependentiæ ab alio; ac ita cum eo connectitur, ut ſine ſuppoſito dato modus ſubſiſtendi nec poni nec intelligi poſſit. Et hi modi quoniam concipi non poſ-

ſunt, niſi cum illo cujus modi ſunt, dicuntur intrinſeci: & definiuntur ſecundum Johan. Duns in 2. diſt. 8. q. 4. quod ii ſint, qui addii alteri vel ab illo remoti non variant rationem formalem conſtituti per ipſos, hoc eſt, de ſe nullam rationem formalem dicunt. Quomodo *S*cotus Ens dividit in limitatum, & non limitatum, ut docetur apud Johan. verſic. 4. *M*et. quæſt. 1. non quod limitatio & illimitatio ſint differentiæ *E*ntis, ſed quod modi intrinſeci: qui ſi tollantur maneat conceptus ipſius entis unius communis, nullo modo diverſus factus. *E*t Ens limitatum per modos intrinſecos, eſſe nimirum in ſe & eſſe in alio, dividitur apud eundem in decem predicamenta, qui modi ſi tollantur, maneat conceptus unus & communis ad ſubſtantiam & accidens. Ex his ergo modis intrinſecis Entis diviſiones peti poſſunt: non quod contrahant ipſum Ens, ut aliquid eſſentiale additum: pugnat enim hoc cum natura Entis in ſe, pugnat cum natura modorum intrinſecorum, & pugnat cum iis ad quæ contrahitur *E*ns per hoſce intrinſecos modos.

Cum natura Entis pugnat: eſſentiale enim nihil eſt extra Ens indifferenter acceptum, per quod realiter contrahi poſſit. Cum natura modorum, quoniam, ut dictum, nihil formale dicunt, præter id cujuſmodi ſunt: itaque nec per aliquam diſtinctam formalitatem ipſum Ens contrahere poſſunt. Cum natura inferiorum: contrahitur enim per modum illimitationis ad Deum, dico enim Deus eſt Ens illimitatum, non tamen plus rei in hac eſt, Deus eſt Ens illimitatum, quam in hac Deus eſt Ens, & in hac Deus eſt, ſemper n. eodem modo Deus eſt *E*ns ſumme ſimplex & ſimplicitur ſimplex, ſeu ut

ſunt

sunt verba Scalig. purus & purissimus actus à nullo omnino in re determinabilis.

Ad secundum, sciendum, quod ex affectionibus deductæ divisiones dicuntur eæ, quæ ita ab affectionibus fundamentaliter dependent, ut quod illæ transcendenti quadam ratione simpliciter de omnibus omnino rebus dicunt, hoc eæ per disjunctionem in particularibus Entibus sparsim pro varietate particulari secundum quid determinent. Ita v. g. quod Entis affectio unum transcendenter dicit de omni Ente in genere, hoc divisio Entis in universale & singulare in iis, quæ sunt unum genere & specie, per universalitatem exprimit; in uno numero per singularitatem. Et quod unum dicit in genere de omni omnino Ente absolutè accepto, hoc divisio Entis in idem & diversum exprimit per unum comparativè acceptum, ut scilicet quod in se unum est, per comparationem ad aliud ab eo diversum sit; unde mediante unitate aliqua diversitas oritur. Inde itaque ut hoc obiter addamus, non multum refert, sive ejusmodi distinctiones, cum Monlorio in doctrina de universis, velimus dicere affectiones Entis disjunctas, quæ simul sumptæ cum Ente reciprocentur: sive Entis divisiones, quatenus ipsum Ens determinant ad omnia Entia particularia, pro quibus sumuntur. Nunc in specie de Potentia & Actu aliquid dicemus.

Est ergo potentia aptitudo & propensio rei ad suum actum. Hic ergo quæri commodè potest, anne cum potentia definiatur in ordine ad actum, in relatis ea sit reponenda? Hic distinguendum est, quod relatio alia sit prædicamentalis, alia vero transcendentalis. Prædicamentalis relatio dicit respectum realem duorum ex-

tremorum, ita ut eorum esse non sit positum nisi ad aliud esse, & ejusmodi relatio in potentiam & actum non cadit, ea enim facit ut relata sint simul natura. At vero, ut est apud Zabar. in libr. 1. de pri. rer. mater. cap. 9. posita potentia actus non ponitur, & posito actu non ponitur potentia; quin potius à contraria parte uno eorum posito negatur alterum. Relatio vero transcendentalis non dicit necessario certam aliquam ac determinatam habitudinem ad terminum realem seu realiter existentem, sed sufficit esse objectivum, ut possit aliquid habere rationem termini transcendentalis habitudinis. Cum enim ob id ipsum potissimum Enti conveniat, quatenus est per se ordinatum ad munus peculiare, quod potest per se intendi, per aliquam actionem: tendit quidem hæc relatio ad terminum, realiter per actionem producendum, non tamen eum, qui actu necessario fit. Ita ergo actus & potentia relatione transcendentali ad se mutuo referuntur, quoniam, etsi actu simul non existunt, nihilominus potentiæ per se primo instituuntur & ordinantur ad suos actus, ad eosque habitudinem includunt, ut vel ad eos ab agente deducantur, vel ipsæ eos producant.

Est vero potentia triplex: una obiectiva, alia subiectiva, alia activa. Ita enim tribus modis nos posse dicimus, vel quod possit esse quod non est; vel quod possit agere, quod non agit; vel quo possit pati, quod non patitur. Et primum quidem posse, facit potentiam obiectivam; est n. potentia obiectiva nihil aliud, quam respectus rei possibilis ad suum agens à quo fieri possit: quomodo ante creationem omnia erant in potentia obiectiva ipsius Dei, quatenus nimirum poterant esse, quæ non erant, & ipsis non repugnantibus esse à Deo.

Potentia vero subiectiva est potentia realis, quæ ab agente mutationem suscipit: unde ab Arist. 9. *Met.* definitur, quod sit potentia, quæ possit ab alio transmutari in quantum est aliud, aliàs potentia passiva dicitur.

Potentia vero activa dicitur principium transmutationis in alio, in quantum aliud est. Ac differunt potentiæ activæ & passivæ in hoc, quod activæ non indigent cum exiverint de potentia in actum motore extrinseco, passivis autem est necessarius ut docet Averr. 4. cœl. t. cap. 2. idemque colligitur 2. de anima 52. & 12. Metaph. 54.

Ac subiectiva quidem alia naturalis est alia obedientialis. Naturalem eam dicimus, quæ est in potestate proxima ad formam aliquam recipiendam: quomodo verbi gratia, semen humanum est in potentia passiva naturali ad suscipiendam animam rationalem. Obedientialis vero ea dicitur, quæ ad aliquod agens superius sese refert, à quo perfectionem suam obtineat: quomodo in potentia obedientali lapides dicuntur esse, ut fiant filii Abrahæ. In eam sententiam eleganter dixit Thom. 3. p. q. 11. art. 1. potentiam passivam in qualibet creatura esse duplicem; Unam per comparationem ad agens naturale; aliam per comparationem ad agens primum. Et hæc dicitur, qua potest quælibet creatura per agens primum reduci in actum aliquem altiorem actu, in quem reducitur per agens naturale: aliàs consuevit vocari potentia obedientiæ in creatura.

Potentia vero activa alia est rationalis, alia naturalis. Rationalem eam dicimus, quæ ab agente cum voluntate est. Naturalem eam, quæ sine cognitione prævia est. Ac rationalis quidem

dem alia increata est, & est potentia Dei, secundum quam libera sua potestate omnia producit quæ vult: creata vero vel angelorum vel hominum est. Naturalis vero potentia eorum est, quæ solo naturæ instinctu agunt. Vide potentiæ significata & modos apud Averr. epit. Metaph. tract. 3. p. 384. & seq.

Potentiæ respondet actus. Ac quoniam actus & ipse ambiguè dicitur, non poterit ejus ratio una definitione commodè explicari. Evolvamus ergo ejus significationes per partes. Est vero actus duplex, unus purus, alius vero impurus. Purum actum eum dicimus, qui absolutus est à respectu ad materiam, seu qui est forma abjuncta à materia: ita Deum dicimus actum purum purissimum, & intelligentias actus dicimus, non quod aliquid perficiant seu actuent, ut ita loquar: sed quod hi actus perfecti in se sint, ut in perfectione formali à nullo alio dependeant, nec ad alterius formalem perfectionem ordinentur. Impurum actum eum dicimus, qui est ordinatus ad aliquid perficiendum, esque actus respectivus seu relativus dicitur, eo quod ad alterius perfectionem ordinatur: Aristoteli ἐντελέχεια est. Prout vero perfectio est duplex, prima & secunda, & actus duplex est, primus & secundus, docente Arist. 2. de anima. cap. 5. Primus dicitur, qui ad perfectionem primam, hoc est, ad esse rei ordinatur. Actus secundus, quia ad perfectionem secundã, hoc est, operationem. Inde actum primũ dicimus formam cum materia consociatam, actum vero secundum operationem, quæ ab hac forma in hac materia proficiscitur. Actus primi exemplum est apud Arist. in 2. de ani. text. 6. quando animam dicit actum corporis organici physici, vitam habentis

bentis potentia. Actum vero ſecundum in cujuſque rei operatione quotidè animadvertimus, quomodo calefacere actum ſecundum dicimus ipſius ignis, reſpectu ejus, quod calefieri poteſt. Deducamus rem eam aliquanto clariùs.

Actus non uno modo dicitur: 1. actus dicitur pro quacunque natura, quæ eſt poſita extra nihilum. Eo ſenſu dixit ſubtiliſſ. Duns in 2. d. 12. q. 5. ſect. dico igitur, materiam primam eſſe actu vel actum, quia non eſt in potentia objectiva tantum, ſed exiſtit in potentia ſubjectiva extra cauſam ſuam, & eſt quid poſitivum. Et hic actus vulgo dicitur Entitavus, juxta quod è Gregor. Arim. in 2. diſt 12. quæ. 1. Aquar. in diſput. 2. de nat. matr. ad Phyſ. Ferr. ſcribit, quòd actus ſeu actualitas poſſit dici quælibet Entitas, quæ ſub Ente tranſcendenti continetur, prout Ens ipſum illimitatum & tranſcendens diſtinguuntur contra ipſum nihil, & ita in genere deſcribitur actus, quod ſit rem exiſtere, non ita quemadmodum dicimus poteſtate. 9. Metaph. cont. 11. 2. Actus dicitur abſolutè, pro ſubſtantia ſeparata ab omni materia; & dicitur communiter actus purus, quia non eſt in ordine ad materiam, vel etiam, quia in ultimo gradu ſimplicitatis: eoque actum purum dici, propriè Deo competit, ut docetur apud Nicol. de Orbel. in 1. d. 8. q. 1. & Lamb. de monte Domini dicit in 1. Phyſ. t. 83. naturam divinam eſſe actum purum; ſed formam eſſe actum participatum. Eodem ſenſu ratione ſimplicitatis actum purum unitatem vocant Pythagoræi: potentiam multitudinem. 3. Actus accipitur pro forma informante, ut docetur apud Ariſt. 8. *Meta*. cont 6. ubi dicit, manifeſtum, quod actus alius eſt alterius materiæ. Et Scotus in quodlib. q. 2. art. 2. docet, formam

mam dici illud aliud principium, quod habet rationem actûs, quod cum materia constituit compositum. Et Averr. in Epit. Metaph. tract. 2. pag. 381. dicit, quod materia est id, quod est in potentia ad rem, quæ est futura esse in actu & definitione, & forma: ipsa vero forma & actus, & quidditas. Et ita in specie Arist. in 2. de anim. cont. 4. animam vocat formam, eandem vero cont. 5. & 6. vocat actum corporis. Et hic communiter dicitur actus formalis & informans. Hoc sensu apud Scotum scriptum est, materiam de se non habere actum distinguentem vel dividentem, vel receptum, vel informantem & dantem sibi esse specificum in 2. Sent. d. 12. q. 1. Et apud Achil. 1. de orbibus dub. 1. forma dicitur esse in genere causæ formalis ipsi materiæ, & eam actuare. 4. Actus dicitur pro principio activo vel operativo, ut docetur apud Barth. de Usingen. 3. Phys. tract. 1. Hoc modo anima dicitur actus primus respectu suarum operationum ab ea procedentium, & habitus dicitur actus primus respectu operationum, ad quas inclinat potentiam, ut idem docet 2. de ani. q. q. 2. 5. Dicitur actus pro ipsa operatione rei, quomodo intelligere & velle sunt actus animæ. Et hoc sensu docetur in 2. de anim. t. 5. quod actus dicitur dupliciter: alius quidem sicut scientia, alius sicut speculatio, quod aliâs communiter dicitur, actum alium esse primum, alium secundum: per actum primum intelligendo potentiam seu facultatem a qua operationes proximè proficiscuntur: per actum secundum, operationes ipsas. Ita vis urendi in igne dicitur actus primus: urere vero actus secundus. Hic tamen sciendum ut annotavit Joh. Altestaig. in vocab. Theol. quod actus

quando

quando pro operatione accipitur. plerumque dicitur pro actu interiori. Est vero actus hoc modo dictus duplex: Elicitus, & imperatus. Actus elicitus, ut colligitur è Gabr. in 3.d.36.art. 1.not. 1. dicitur actus qui immediatè & intrinsecè à voluntate proficiscitur, cujusmodi actus sunt velle, & nolle, ut si voluntas eliciat actum volendi, eò quia est conformis dictamini rectæ rationis. Actus verò imperatus est actus à quacunque potentia alia à voluntate ortus: hic duplex est: vel enim est formaliter imperativus, vel virtualiter. Ille dicitur qui simpliciter imperat executionem ipsius actûs: ut qui imperat inferioribus potentiis mortem sustinere pro religione. Virtualiter verò imperativus, qui imperat executionem actûs cum conditione ut qui daret eleemosynas si haberet unde daret. Vide de actu in genere Fr. Suaretz. disp. Meta. 13. s. 5. n. 7.

Est & alio modo actus duplex: Perfectus scil. & imperfectus, ut colligitur ex Arist. 3. Phys. cont. 15. Actus imperfectus is dicitur: qui in potentia ad formam consequendam existit. Ejusmodi actus motus dicitur; is enim actus dicitur motus respectu rei mobilis, in quam aliquam perfectionem inducit: imperfectus tamen dicitur, ut notat Averr. in comm. edid. t. 15. 3. Physic. propter communicationem ejus cum potentia, quia est in potentia, ad formam acquirendam. Et idem planius docuit in 1. de anim. ad tex. 43. dicens, esse motus est esse transmutabile, & est compositum ex esse in potentia, & ex esse in actu, & ideò existimaverunt plures antiquorum ipsum non esse. At verò anima actus perfectus est: est enim in esse perfecto de se, & alteri elargitur perfectionem, esse

esse scil. animatum. Unde contra Platonem disputabat Arist. in 1. de anima, qui dicebat animam moveri, contra quem arguit in tex. 23. quia motus est processus moti in modo sui motûs, necesse est etiam ut anima procedat à sua substantia, si non movet se accidentaliter, sed motus est suæ substantiæ per se. Anima ergò actus est, sed non ut actus imperfectus, verùm ut actus perfectus. Tantum de potentia & actu.

Doctrinæ de potentia & actu subjungemus doctrinam de Concretione & Abstractione: non quia hoc loco necessario inserenda, proximè enim videtur insequi verum, tanquam fundamentum, sed quia natura potentiæ & actûs ex hac doctrina illustrari etiam potest.

CAPUT X.

DE ABSTRACTIONE.

I.

QVid sit Abstractio: & ordo ejus ad Divisionem et Concretionem.

2. *Concretum duobus modis dividi potest: aut per naturam, aut per intellectum.*

3. *Abstractio duplex: realis & intellectualis.*

4. *Abstractio realis: alia immaterialium, alia materialium.*

5. *Abstractio immaterialium: Vna secundùm essentiam, alia secundùm indifferentiam.*

6. *Abstractio realis materialium: aut fit à natura, aut per artem.*

7. *Abstractio intellectualis: alia præcisiva, alia divisiva.*

8. *Quomodo intelligendus Arist. abstrahentium non esse mendacium.*

9. *Abstractio præcisiva tripliciter subdividitur: 1. è parte intellectûs, 2. è parte subiectorum, 3. è parte ordinis.*

10. *Et*

10. *Et à parte intellectus: est vel habitualis, vel actualis.*

11. *A parte subjecti: est vel formalis, vel totalis.*

12. *Hæc divisio respondet duplici modo compositionis: unde abstractio formalis quadruplex: 1. abstractio formæ substantialis à materia. 2. abstractio formæ accidentalis à subjecto. 3. abstractio subjecti à forma accidentali. 4. abstractio materiæ à forma substantiali.*

13. *Abstractio totalis variatur quadrupliciter pro varietate totius: 1. Vniversalis. 2. Essentialis. 3. Integralis. 4. Partium definitionis ad definitum.*

14. *E parte ordinis triplex est abstractio. 1. Prioris à posteriori. 2. Posteris à priori, & 3. Eorumque sunt ejusdem gradus.*

15. *Alio modo dividitur Abstractio, vel à subjecto, vel à supposito.*

16. *Abstractio à subjecto dicitur: vel negative, vel privative.*

17. *Abstractio à supposito: est vel à supposito proprio, vel à supposito alieno.*

18. *Abstractio à supposito proprio, est vel naturæ à supposito, vel universalis à suo singulari.*

19. *Abstractio à supposito alieno eadem cum abstractione accidentis à subjecto.*

20. *Suppositi vocabulum in substantiis proprie, in accidentibus improprie dicitur.*

21. *Est & alia ratione abstractio triplex: physica, Mathematica, Metaphysica.*

22. *An Mathematica abstrahat tantum à materia sensibili, an vero etiam ab intelligibili: & quæ sit materia intelligibilis duæ diversæ opiniones.*

23. *Explicantur duo loci Arist. Priori est in 7. Met.*

Met. t. c. 35. Posterior 8. Met. t. c. 15. è quibus controversia videtur posse decidi.

24. *Instituitur conciliatio sententiarum pro diversitate materiæ mathematicæ: quæ est vel non necessaria, vel necessaria. Non necessaria est sensibilis. Necessaria videtur esse vel ut subjectum, vel ut pars. Necessaria ut pars duplex: una quæ est extra rationem definitionis, alia quæ definitionem ingreditur.*

25. *Abstractio Metaphysica eadem est cum abstractione immaterialium.*

26. *Usus distinctionis in divisione sententiarum speculativarum.*

COMMENTARIUS.

I.

ABstractio late accipiendo prout concretioni cuicunque opponitur, est secretio unius ab altero. Nam è cujuscunque multitudinis, sive ea realis sit, sive intellectus tantum opera fiat, divisione, abstractio oriri potest: quo ad multitudinis ejus vel partes conceptus separatim ponuntur, aut saltem cognoscuntur. Abstractio enim non nisi Concreti est: concretum vero quidque dicimus, non tam qua unum est, quam quatenus hoc unum dividi potest in ea plura, quæ vel secundum rem, vel secundum rationem in eo esse ponuntur: hinc vero abstractio nascitur. Est enim ordo quidam naturalis inter ea tria: Divisionem, abstractionem, & concretionem, ut se mutuo præcipiant, & unum sine altero non fit, ut & natura rei docet, & scriptum habetur in vetusto quodam codice, quem Raymundi esse suspicor, vel certe cujusdam ejus discipuli. Nam divisio præcedit abstractionem, ut

causa

causa effectum: quum enim nihil abstrahat ab eo cum quo unum est, qua unum, sed ab aliquo qua diversum: necesse est, ut præcedat divisio, quæ distinguat ea, inter quæ est abstractio. Et concretio esse non potest, nisi inter ea quæ possunt abstrahi ab invicem: nam concretum non dicimus, quod habet simplicem significandi modum, sed quod in iis est, quæ cum quadam multitudine sunt conjuncta.

2. Dico vero dividi posse hoc, quod concretum est duobus modis: aut per naturam, aut per intellectum seu cognitionem. Per naturam ea dividi dicuntur, quæ seipsis separatim subsistere possunt, sine eo à quo abstrahuntur. Per intellectum vero, & cognitionem quæ dividuntur, ea quandoque dividimus, quia à natura divisa cognoscimus: quandoque vero quæ per naturam separari non possunt ea sola intellectus opera ita dividimus, ut uno cognito, alterum non cognoscamus.

3. Hinc jam duplex abstractio nascitur: Una est realis, alia intellectualis, ut docet Petrus de Aquilia in 1. d. 3. q. 1. art. 1. Abstractio realis est secretio secundum substantiam unius naturæ ab altera. Hinc separationem potius quam abstractionem quidam dicere voluerunt: eò quod extrema abstractionis separata ponantur, ut videre est apud Thom. opusc. 70. quod est de Trinitate super Boëtium q. 5. art. 3. ubi dicit: in his quæ possunt esse divisa secundum esse, magis habet locum separatio, quam abstractio. Verum quum Arist. χωρίζειν & χωριστὸν communniter utatur: 2. Phys. cont. 18. χωριστὰ τῇ νοήσει κινήσεως abstracta intellectu à motu, Mathematicas abstractiones. In 3. de anim. t. 35.

35. quæ antea ἐν ἀφαιρέσει λεγόμενα in abstractione dicta, nominaverat, postea ὡ κεχωρισμένα ὡς κεχωρισμένα non separata ut separata intelligi dicat. In 3. de anim. t. 20. intellectus χωρισθεὶς insit. & in 12. Metaph. eodem nomine χωριζόμενα intelligentias appellarit, ut Scal. ex 342. etiam annotavit, sive separationem, sive abstractionem dicere malis, parum interesse puto.

4. Abstractio vero ea realis pro diversitate subjectorum duplex est: ut una sit abstractio rerum immaterialium, alia materialium.

Abstractio rerum immaterialium est, separatio Entis a materia re & ratione. Dicuntur vero re & ratione a materia separari ea, quæ nec ad esse, nec ad essentiam sui requirunt materiam. Unde apud Averr. 6. Meta. comm. 2. dicuntur res abstractæ secundum definitionem & secundum esse. Nam & sine materia definiuntur, & sine materia re ipsa subsistere possunt: quo ipso a Mathematicè abstractis distinguuntur, quæ tametsi sine materia definiuntur, non tamen sunt, vel existunt, sine materia. Nam hoc vult Averr. 2 in Phys. tex. 71. quando ait: scientiam Mathematicam considerare de rebus immobilibus, sed quæ sint in mobilibus.

5. Ea vero abstractio immaterialium, quæ dicitur abstractio re, & ratione a materia duplex: Una dicitur abstractio a materia re & ratione secundum essentiam, alia dicitur abstractio permissiva, seu ut alii vocant, secundum indifferentiam. Vide Joh. Vers. 1. Met. q. 1. notab. 6. Abstractio a materia secundum essentiam eorum est, quorum essentiæ repugnat includere materiam, cujus modi sunt Deus & intelligentiæ. Ad hoc genus referuntur animæ hominum separa-

ſeparatæ: eæ enim tametſi conjunctæ cum corpore conjunctione materiales dicantur; quidditas tamen earum immaterialis omni modo eſt. Abſtractio vero permiſſiva, ſeu ſecundum indifferentiam eorum eſt, quibus tametſi non repugnat eſſe in materia, de ſe tamen ſeparata ab omni materia ſubſiſtere poſſunt. Ejus generis ſunt univerſaliſſima abſtracta: ut Ens cum ſuis paſſionibus: quæ tametſi cum materia actu ſunt in rebus corporeis, interim in ſeparatis eſſentiis ſeparatum eſſendi modum ſervant: Ens enim in divinis non participat quicquam de materia arboris, lapidis, ligni, in quibus tanquam inferioribus ſibi etiã ſubſiſtit. Vocatur vero abſtractio permiſſiva ſeu ſecundum indifferentiam: eo quod hoc abſtractorum genus indifferenter habeat ſive inſit in materia, ſive ad ea ſit ſeparatum. Vide Aug. Niphum Sueſſ. ad Averr. deſtrct. diſp. Metaph. 8 pag. 242.

Unde & hoc porro intelligitur, abſtrahi re & ratione a materia, non univoce, ſed ſecundum prius & poſterius dici de abſtractis, ſecundum eſſentiam, & ſecundum indifferentiam. Nam uno modo ſeparata ſecundum eſſentiam ſunt abjuncta a materia, ut nihil communionis cum materia habere poſſint: at vero quæ ſunt abſtracta ſecundum indifferentiam, ceu in medio poſita videntur inter pure abſtracta, & ſola ratione abſtracta. Nam duplicem omnino conceptum participare videntur: Unum communem cum ſeparatis, quatenus ſeparatim ſine materia ſubſiſtere poſſunt: alterum communem cum abjunctis ſola ratione a materia, quatenus iis non repugnat eſſe in materia. Unde & falſo quidam ſola ratione abſtracta a materia dixerunt. Alio etiam modo ſecundum

prius immaterialia dicuntur abstracta, eo quod quicquid immaterialitatis, ut ita loquar, habent hæc abstracta secundum indifferentiam, participant ab abstractis secundum essentiam, quoad identitatem essentiæ cum iis concurrunt.

Hæc sententia recens non est, sed docuit eandem Avic. eleganter Logicæ suæ parte prima cap. 1. Adscribam verba ejus: Rerum quæ possunt denudari à motu, veritas duplex est: aut est veritas necessaria, ut Deus & intelligentia: aut veritas earum non est necessaria, sed ita sunt comparatæ, ut non sit hoc eis impossibile (ut scil. commisceantur cum materia) sicut est dispositio identitatis, & unitas, & causalitas, & numerus qui est multitudo Et hæc aut considerantur secundum hoc quod sunt ipsæ, & consideratio earum non variatur in hoc, quod spoliatæ sunt, (scilicet motu & materia:) Sed erunt tunc de tota consideratione, quæ est in rebus ex hoc quod non sunt in materia, quia hæc ex hoc quod sunt ipsa non sunt in materia (hoc est, tota earum consideratio est abstracta à materia, quia secundum proprium essendi modum à materia omni sunt liberæ.) Aut considerantur secundum hoc, quod accidit eis non habere esse nisi in materia. Quem modum in sequentibus pluribus persequitur. Et hæc abstractio realis immaterialium est.

6. Abstractio vero seu separatio realis materialium & corporum est, quando diversa corpora ita separantur, ut quodlibet eorum diversam subsistentiam obtineat. Ea separatio aut fit à natura, aut per artem. Abstractio à natura est separatio corporum ab homins vel arbitrio, vel industria non dependens, sed à natura, ejusque causis

causis facta. Hoc abstractionis modo cælum dicitur abstrahere ab Elementis, quod Averr. dicit cœlum habere naturam existentem sibi propriam, aliam ab ea quæ est generabilium & corruptibilium. 1. Met. t. 22. Ejusmodi separationes sunt exhalationes, evaporationes, &c. Abstractio artificialis est separatio corporum humana industria facta, quomodo aquam à vino abstrahimus & separamus.

7. Abstractio intellectualis, quæ & Intentionis à quibusdam dicitur duplex est, ut annotavit Thom. 1. p. q. 85. art. 1. ad. 1. & Logicæ de prædicabilibus cap. 1. & ex eo Anton. 1. p. sum. maj. tit. 3. c. 11. ¶. 9. Una quæ fit per primam mentis operationem. Ea dicitur quibusdam Abstractio præcisiva, vel præcisionis, quibusdam etiam abstractio per modum simplicis & absolutæ considerationis. Ea est quando eorum quæ sunt adunata secundum esse consideramus unum non considerando aliud, Hoc docet Aver. 12. Met com. 39. intellectus inquit, natus est dividere adunata in esse, in ea ex quibus componuntur, quamvis non dividantur in esse, sicut dividit materiam à forma, & formam à composito ex materia & forma. Ita in solut. contradict. Aver. 4. Phys. contr. 10. dicitur quum tempus non sit de qnidditate motus, intellectus potest abstrahere motum à tempore, tametsi fieri non possit ut motus sit sine tempore.

Alia est abstractio, quæ fit secunda mentis operatione: ea contingit per modum compositionis & divisionis, sicut quum dicimus, aliquid non esse in alio. Hanc alii divisivam vocant, alii etiam negativam. Secundum hunc abstractionis modum dixit Aver. 12. Met. com. 29. Tempus & motus aut sunt idem, aut tempus est aliqua

aliqua passio ejus. Sine tempore enim impossibile est imaginari motum. Nam quum alia & alia sit temporis & motus formalitas, secundum abstractionem præcisivam motum contemplamur, omissa temporis ratione, ut dicebamus. Verum si per secundum mentis operationem dicere velimus, esse motum sine tempore, ut actuali negatione ea duo quæ semper sunt conjuncta separare velimus, quod fieri non potest imaginabimur.

8. Et hinc intelligitur, quo sensu accipiendum sit illud, quod apud Arist. scriptum est 2. Phys. text 18. Abstrahentium non esse mendacium. Nam abstrahentium juxta primum abstractionis modum, mendacium non est: quia quæ sunt maxime unum, eorum vere unum sine alio considerari non potest. Ita animal & homo sunt idem secundum rem, ratione seu definitione differunt: considero ergo animal definiendo illud, non considerando quod in homine. Verum secundo abstrahendi modo ab invicem sejungere, quæ secundum rem separata non sunt, parit falsitatem. Ita falsa est hæc: homo non est animal: quia animal est de necessitate definitionis hominis. Ast quæ sunt de definitione, et de re, in cujus definitionem ingrediuntur, negari vere non possunt.

9. Ea vero Abstractio quæ fit secundum primam mentis operationem, tripliciter potest subdividi: uno modo ex parte intellectus, alio modo ex parte subjectorum, a quibus fit abstractio: tertio modo ratione prioris & posterioris.

Ex parte intellectus duplex est: una est abstractio habitualis, alia est abstractio actualis, ut colligitur è Scoto 7. Meta. q. 18. ¶. de illo igitur, & seqq.

Abstractio

Abſtractio habitualis eſt productio ſpeciei intelligibilis facta a phantaſmate, & intellectu agente, quæ impreſſa in intellectu poſſibili objectum ei repræſentare, ad illudque cognoſcendum immediate movere poſſit. Hujus abſtractionis partes tres ſunt. 1. Agentis intellectus illuſtratio, & abſtractio ſpeciei intelligibilis a phantaſmate. 2. impreſſio ſpeciei in intellectum poſſibilem, & 3. repræſentatio ſeu præſentia objecti in intellectu poſſibili. Agens intellectus lumen eſt, ut phantaſmata illuſtrentur, & ſpecies intelligibilis producatur. Species intelligibilis formaliter impreſſa poſſibili intellectui, ob ſimilitudinem quam habet cum objecto, deducit intellectum in notitiam objecti. Objectum vero præſens eſt intellectui non formaliter, ſed objective: quoad intellectus è forma ſpeciei deducitur in apprehenſionem objecti.

Abſtractio actualis eſt actio intellectus, qua per ſpeciem intelligibilem cognoſcitur objectum, ſeu natura per ſpeciem repreſentata.

Ac ordo eſt inter abſtractionem habitualem & actualem, ut actus primi & actus ſecundi: nam habitualis abſtractio exhibet potentiam proximam, qua in objectum cognoſcendum ferri poſſimus: actualis vero abſtractio dat, ut actu in ipſum obiectum feramur, idque cognoſcamus. Illa fit per habitualem ſpeciem, in qua etiam res repræſentatur: hæc per actualem potentiæ cognitionem, ut notarunt Conimbric. in præf. Proph. q. 5. art. 1. Vide doctiſſ. Monl. de univerſis c. 2.

10. A parte ſubiectorum abſtractio iterum duplex eſt: Una formalis, alia totalis. Quod duplex genus abſtractionis notavit Thomas opuſc. 70. q. 5. art. 3. & Caiet. de ente & eſſentia

quæst. 1. art. 3. in prooemio.

Abstractio formalis est, quâ formale abstrahitur à materiali. Quomodo accidens abstrahit à suo subjecto: accidens enim forma sui subjecti est. Ea abstractio in Mathematicis obtinet; nam Mathematicus considerat quantitatem, non considerando materiam in qua est, ejus enim definitiones abstrahunt à materia, sine qua tamen non sunt. Lineam definit non hanc vel illam, sed indeterminate dicendo, quod sit longitudo latitudinis expers. Hoc est quod docet Averr. 6. Meta. com 2. Mathematicam esse de rebus abstractis secundum definitionem tantum, non secundum esse. Et in 1. post. comm. 101. Mathematicos ut plurimum non considerare de existentia rerum, quæ sunt in artibus suis, hoc est, quas definiunt & quarum causas perficiunt, quoniam non est ex consuetudine artis suæ, ut cognoscant existentiam earum rerum, & adminiculentur ipsis. Vide eundem 12. Meta. com. 5. & aliis locis innumeris.

Abstractio totalis dicitur, qua totum abstrahitur à suis partibus, totum universale verbi gratia à suis partibus subjectivis. Quomodo animal consideramus non consideratis speciebus ejus leone vel bove. Et hoc abstractionis modo consideratur absolute natura quædam, secundum propriæ essentiæ rationem sejuncta ab omnibus partibus, quæ non sunt partes speciei, sed sunt partes accidentales.

11. Duplex hoc genus abstractionis respondet duplici modo compositionis: quorum alter est conjunctionis materiæ cum forma: alter unius totius cum suis partibus. Conjunctio materiæ cum forma duplex est: una essentialis, alia accidentalis. Essentialis conjunctio eorum, quæ ad

ad unum per se constituendum concurrunt: accidentalis eorum, quæ unum per accidens faciunt. Utrumque vero genus abstractioni formali opponitur. Nam tametsi essentialis conjunctio respectu totius compositi sit essentialis, quod sine iis nec esse nec definiri potest, ast partibus inter se consideratis accidere videtur conjunctio. Est enim materia omnis de se in potentia tantum ad suam formam. Quod indicasse videtur Aristot. 2. de ani. tex. 6. Quando animam definit actum corporis organici, vitam habentis in potentia. Nam ut corpus est in potentia ad vitam ut formalem animæ effectum, ita est in potentia ad animam, ut formam ipsam. Nihil ergo impedit alterutrum horum considerare seorsim, alterum in ratione informabilis, alterum in ratione informativi. Distincta enim formalitas distinctum suscipit considerandi modum. Is vero modus ad hanc formalem abstractionem reducitur.

De accidentali conjunctione res est planior. Namque in iis, quæ sunt unum per accidens, ut concursus est accidentalis, ita accidere omnino videtur ea conjunctim considerare. Et quo magis accidentalis est ea conjunctio secundum cognitionem: eo facilius unum ab altero in cognitione sejungi potest. Ac difficultas nulla est in iis quæ sunt conjuncta secundum quintum genus prædicabilis: quid enim impedit, vel hominem dicere non Musicum, vel musicam definire non considerato homine in quo est, quemadmodum actu à maxima hominum multitudine separata esse animadvertitur. Difficultas de accidentibus est, quæ sunt in subjecto secundum modum proprii. Verum in iis si concretiva ratio ab abstractiva distinguatur.

guatur, res erit facilis: nam risibile quia connotat subjectum, quod est risibile, hominem videlicet, de se à subjecto non abstrahit, quia in suo significandi modo id ipsum includit. At vero risibilitas extra rationem humanitatis est: cum qua tametsi semper sit secundum existentiam conjuncta, alia tamen natura risibilitatis, alia hominis & humanittais est, unde hac dimissa, illa sub cognitionem venire facilime potest. Hæc vero eo disputantur, ut doceamus sub hoc genere formalis abstractionis non tantum contineri abstractionem mathematicam accidentis à subjecto. Sed 1. abstractionem formæ substantialis, est enim natura posterior sua materia, potest ergo cognosci sine hac. 2. abstractionem formæ accidentalis: omne enim accidens est extra rationem sui subjecti, potest ergo unius ratio considerari extra rationem alterius. 3. abstractionem subjecti à forma accidentali: nam tametsi subjecta re a suis accidentibus propriis separari nequeant, definiuntur tamen sine iis, & ita abstrahunt a suis formis accidentalibus: & 4. abstractionem materiæ a sua forma, quam Thomas non concedit, quia putat materiam de se esse puram potentiam: at vero nos quoniam cum Scoto in 2. d 12. materiæ actum Entitativum tribuimus, diversum ab actu specifico, & illum natura priorem, hoc modo materiam etiam a forma abstrahere dicimus, quanquam sine forma nunquam sit, quomodo de materia considerat divinus Philosophus. Ac ita latius aliquando Formalis abstractionis limites extendimus, sive forma abstrahit, a materia, seu contra materia a forma.

12. Unio vero totius cum suis partibus variatur pro varietate totius & partium; quadru-

plex

plex tamen potissimum attenditur, quæ ad rem præsentem faciat. et est: 1. totius Unive salis cum suis partibus subiectivis. 2. Totius essentialis cum partibus essentialibus. 3. totius integralis cum partibus integrantibus, & 4. partium definitionis cum suo definito. Unio totius universalis cum suis partibus subiectivis, est coniunctio realitatis inferioris cum realitate superioris ut indeterminatio superioris determinetur ad determinationem sui inferioris. Et abstractio huic unitati respondens omni difficultate caret. Nam animal, verbi gratia, quum sit quid indeterminatum ad hominem & bestiam, nihil horum de se est: eoque abstrahit ab utroque ut indeterminatum à determinato.

Unio totius essentialis cum suis partibus, est ordo totius essentialis ad suas partes essentiales, ut ex earum coniunctione resultet tertia quædam Entitas diversa ab entitate partium, tam separatim quam coniunctim sumptarum. Et hæc res difficultate non caret. De hoc enim tertio genere docet Thom. opusc. 70. quæ. 5. art. 3. quod à suis partibus abstrahere non possit: sic enim syllaba nihil erit à suis literis separata. Ita de homine dicit, quod ei per se competat, quod inveniatur in eo anima rationalis, & corpus compositum ex quatuor Elementis: unde sine his partibus hominem intelligi non posse putat, quoniam ponuntur in hominis definitione, & sunt partes speciei & formæ. Verum quum cognitio rei duplex sit: Una distincta, alia confusa. nos de distincta omnino concedimus, non posse rem intelligi distincte, nisi in suis partibus essentialibus. Ast de confusa secus statuimus. Nam totum habet Entitatem quandam tertiam diversam à suis partibus, ut docetur apud Averr.

3. de anim. cont. 55. & in compositis est natura addita naturæ componentium, illud scilicet quod fit ex compositione, ut est in 5. Metaph. comm. 6. Quod subtilis. Duns in 3. d. 2. & 22. q. unic. ¶. ad primum argumentum, declarat exemplo hominis: natura, inquit, humana non est partes, nec partes unitæ: humanitas enim non dicit solum respectum unionis partium ultra partes Non enim illud quo homo formaliter est homo, est relatio, est autem homo formaliter homo humanitate. Si enim homo nihil esset, nisi partes unitæ sibi, homo non esset unum nisi aggregatione; Sicut nec quinarius est unitates quinque, sed est illud totum, quod resultat ex quinque unitatibus: aliter si esset, illæ unitates essent unum sicut acervus. Dico igitur, quod homo habet unitatem quandam, & entitatem aliam ab istis partibus etiam unitis. Vide de eo an totum sit quid diversum a suis partibus Zimaram solut. contrad. Aristot. & Aver. contradict. 8. Hoc nunc ita supposito de quo alias accuratius disputabimus, Dico: ubicunque sunt duo diversi conceptus de re eadem, ibi est abstractio unius conceptus ab altero. Abstractio enim est formalis quasi effectus diversitatis & divisionis, ut dicebamus, vel saltem immediate eam consequitur. Ast vero tertia ea Entitas diversa ab Entitate partium, dicit diversitatem conceptus totius à conceptu partium Totius. Abstrahit ergo totum essentiale etiam quadam ratione à suis partibus. Is vero conceptus totius distinctus à suis partibus, non distinctus, est sed confusus.

Unio totius cum suis partibus integrantibus, est ordo totius ad partes suas materiales. Ac ab his non primam, sed secundam tantum perfe-

ctionem

ctionem obtinet, hoc est, habet non ut sit, sed ut bene sit vel operetur. Et hæ partes accidunt speciei: nam manus, pes, digitus sunt quidem partes Platonis, at non hominis qua homo est. Et ab his partibus abstrahere potest compositum: nihil n. humanitatis naturæ derogat, si vel pes, vel manus amputetur.

Unio partium definitionis cum suo definito nihil aliud est, quam explicatio quid erat esse rei per ea, quæ rei intrinsece & per se primo conveniunt. Est & hic quidam abstractionis modus, qui significatur, hoc Philosophorum effato: Definitio & definitum sunt unum re, differunt ratione: quod enim definitum dicit confuse, hoc definitio explicat distincte. Nam ubicunq; differentia rationis & diversitas conceptus est: ibi abstractio necesseria est. Quæ enim sunt inter se unum re; ea nec differre, nec diversimode concipi nisi per abstractionem possunt.

Ad hanc distinctionem abstractionis in formalem & totalem commode reduci potest ea, quæ est abstractionis a subjecto, & a supposito: de qua separata distinctione agemus, non quod ab hac sit re diversa, sed ne propter terminorum explicationem præsens tractatio nimium excrescat.

13. Sequitur tertia subdivisio abstractionis secundum primam mentis operationem ratione prioris & posterioris. Hoc modo jam triplex est abstractio: nam abstrahimus 1. prius a posteriori: 2. posterius a priori. 3 abstrahimus invicem, quæ sunt ejusdem gradus, hoc est, inter quæ prius & posterius non notatur, eo quod simul insunt in eodem. Rem Illustrabimus exemplis.

Illustre exemplum est abstractionis prioris a posteriori apud Aug. Confess. lib. 12. cap. 29.

Eo loco ut doceat quid sit prius origine adducit ordinem inter sonum & cantum. Quæ duo tempore quum sint simul: non enim priore tempore sonos edimus informes sine cantu, quos posteriori tempore in formam cantici coaptemus aut fingamus. Sed quum cantatur, auditur sonus ejus. Interim priorem sonum dicimus, ut materiam forma cantandi. Ecce quomodo abstrahamus, prius à posteriori: tempore simul sunt cantus, & sonus: interim sono tribuimus prioritatem originis, abstrahendo hoc quod sua natura indeterminatum est, ab eo quod determinat: sonum verbi gratia, à cantu, ut qui sonus possit esse sine cantu, non cantus sine sono. Hic ergo distinctio prioris à posteriori notat diversitatem unius ab alio, cum quo re idem est: ea vero sine abstractione esse non potest. At vero abstractio prioris à posteriori est, quia dimisso cantu sonum origine priorem dicimus.

Secundi exemplum apud Arist. est in 2. Phys. t. 18. Eo loco docet & Physicum & Mathematicum agere de longitudine, punctis, figura & sphæra. Sed diversimode: nam Physicū considerare ea ipsa, quoad sunt in materia. Verum Mathematicum de his negociari, sed non quatenus Physici corporis terminus, sed unumquodque: neque accidētia speculari, quatenus talibus existentibus accidant. Quid ergo? abstrahere dicit Mathematicū. Quomodo? superficiem cognoscendo sine subjecto in quo est: accidēs, non cognito eo, cui accidit. Hæc jam abstractio est posterioris à priori: accidēs enim omne posterius suo subjecto est, ut in 7. Meta. cont. 4. docuit Arist.

Tertii exemplum est apud Arist. in 5. Meta. cap. 6. & Averr. in Epit. Meta. tract. 1. cap. de uno. Hic enim notatur unum per accidens dici,

si Coriscum Musicum dicamus justum, vel Musicum ædificatorem. Namque ea duo quum simul ordine insint eidem, musica & justitia, vel musica & ars ædificandi: ut non alium Musicum, alium Architectum, sed eundem & Musicum & Architectum nominemus: unum tamen ita abstrahimus ab alio, ut, si ædificet, non qua Musicus est eum ædificare, nec si canat, qua architectus est eum hoc perpetrare dicamus. Abstrahitur ergo scientia musica à scientia ædificandi in eodem qui & musicus est & Architectus, ut nec prius à posteriori, nec posterius à priori, sed ea quæ simul eidem insunt à se invicem abstrahi enunciemus.

14. Distinguitur etiam alio modo abstractio in abstractionem à subjecto, & supposito.

15. Videtur vero abstractio à subjecto duobus modis dici posse uno modo negativè, alio modo privativè. Negativè abstrahere à subjecto illud dicimus, quod nec fuit in subjecto, nec esse potest, eo quod ejus naturæ repugnat modus inessendi in sujecto. De hoc genere abstractionis intelligere videtur Averr. Arist. in 12. Metaph. com. 26. Aristot. dixerat: Quia quædam res suut abstractæ, & quædam non abstractæ, illæ sunt substantiæ, & propter hoc inveniuntur istæ causæ, quia extra substantias non inveniuntur passiones eorum, neque motus. Hæc verba explicat Averr. hoc modo: intendit per abstracta substantias, quæ sunt subiecta novem prædicamentorum, & per non abstracta novem prædicamenta, quasi diceret, quia prædicamentorum quædam sunt abstracta, & quædam non, abstracta autem sunt substantiæ, & non abstracta accidentia substantiæ. Deinde causam dedit: nullum enim accidens

existit

existit extra ſubſtantiam, ſunt enim in rei veritate paſſiones & motus ſubſtantiarum, & hoc dicit, quia extra ſubſtantias, non inveniuntur paſſiones & motus ſubſtantiarum. E quibus nos hæc: 1. accidentia dicuntur non abſtracta, quia inexiſtunt ipſis ſubſtantiis. 2. Subſtantiæ vero dicuntur abſtractæ, modo abſtractionis oppoſito accidentium inexiſtentiæ: oppoſita enim diviſionis membra ſecundum eandem rationem opponantur neceſſe eſt, ſecus oppoſitio nulla erit. 3. Abſtractæ ergo dicuntur ſubſtantiæ ſecundum modum non exiſtentiæ. Hoc vero eſt abſtrahere à ſubjecto 4. Hæc abſtractio non eſt privativa: privatio enim ſupponit habitum, at vero ſubſtantia in ſubjecto nec eſt, nec eſſe poteſt. 5. Abſtractio ergo quædam negativa: quæ negat modum inexiſtentiæ accidentis proprium poſſe cadere in ſubſtantiam. 6. Et hoc abſtrahere à ſubjecto explicavit Ariſtot. in Categ. cap. de ſubſtantia, quando dicit, commune eſſe omni ſubſtantiæ non eſſe in ſubjecto. Vide Martinum Pollichium de prædicamentis, q. 7.

Abſtractio à ſubjecto privativè dicta eſt ejus quod ineſt in ſubjecto conſideratio, non cognoſcendo ſubjectum in quo ineſt. Quomodo albedinem abſtrahimus à pariete, ovo, cygno, &c. quæ tamen ſeparata à ſubjecto omni eſſe non poteſt. Hoc genus abſtractionis accidentis proprium eſt. Nam accidens in ſubiecto proprie eſt: ſine quo dum cognoſcitur, abſtrahi ab eo dicitur. Privative vero abſtrahi: quia in ſubiecto præſupponit habitum, hoc eſt, quia ſua natura & ineſt, & aptum eſt ineſſe. Hunc modum demonſtravit Ariſt. in 1. de anim. tex. c. 17 quando inquit: ea quæ non ſunt abſtracta in rei veritate, ſed ſunt paſſiones corporis & ſecundum

ab-

abstractionem intendit Mathematicus. Et clarius Averr. in comm. istius loci; accidentia, inquit, non abstracta à corpore & consequentia, non in eo quod est transmutabile, sed in eo quod est corpus tantùm, & magnitudo, & sunt ea quæ intellectus intelligit secundum abstractionem à materia, licet in rei veritate non separentur, consideranda sunt à Mathematicis, Vide & Themist. 1 de anim. c. 5. Et hoc genus abstractionis idem est, cum genere abstractionis formalis à subjecto, quod supra dicebamus.

16. Abstractio à supposito duplex est: à supposito proprio, & à supposito alieno.

Abstractio à supposito proprio est abstractio à supposito, cum quo intrinsece est idem.

17. Hæc abstractio à supposito proprio duplex est, ut potest colligi è subtilis. Duns in 3. d. 22. q. unic *sect.* ad primum, & in quodlib. q. 19. art. 2. vel enim est abstractio naturæ considerata in ultima abstractione à supposito eo, quod ab hac natura constituitur.

Ea abstractio est humanitatis ab homine, leonitatis à leone, equitatis ab equo, corporeitatis à corpore, carneitatatis à carne. Vel est abstratio universalis naturæ, à suo singulari. Quomodo caro in universali abstrahit ab hac carne, leo in specie, ab hoc individuo leone. Et differentia duplicis hujus generis abstractionis in prædicatione animadvertitur: abstracta enim prioris generis non prædicantur de suis concretis. Falsa enim hæc est: humanitas est homo, equinitas est equus. At vero quæ secundum posteriorem abstractionis modum dicuntur, eorum abstractum dicitur de suo concreto Vere enim animali in genere, dicitur de hoc animali in singulari, puta de Buccephalo.

18. Ab-

18. Abſtractio à ſuppoſito alieno, eſt abſtractio naturæ à ſuppoſito cum quo non eſt per ſe idem, ſed diverſi generis; ut docet Scotus in quodlib. 19. art. 2. Et hic modus abſtractionis idem eſt cum modo abſtractionis à ſubiecto. Et dicitur abſtractio à ſuppoſito, quia ſubiectum in quo terminatur dependentia, eſt ſuppoſitum.

19. Hic vero notandum, quod tametſi in accidentib. ſuppoſiti ratio proprie non obtinet, ut docet Durandus in 2. d. 3. q. 2. & Nicol. de Orbellis in 3. d. 1. q. 1. art. 1. in accidentibus tamen dicamus eſſe non tantum abſtractionem à ſuppoſito alieno, ſed etiam abſtractionem à ſuppoſito proprio: quomodo dicimus albedineitatem abſtrahere ab albedine ultima abſtractione: & albedinem ab hac albedine, ut univerſale à ſuo ſupppoſito: & albedinem à pariete, ut ſuppoſito alieno. Impropriè abuſi ſuppoſiti vocabulo, ut quod in ſubſtantiis ſuppoſitum propriè dicitur, hoc in accidentibus ſecundum proportionem dicamus. Quâ de re hoc loco fuſius agere noluimus, quia non exemplis tantum, ſed & modis prædicandi diverſis, tam in divinis, quam in creaturis rem eam declaravimus Antidoti noſtri lib. 2. c. 22. quod caput legere poterit, qui uſum hujus doctrinæ expoſtulat.

20. Eſt & quædam Abſtractionis diſtinctio, quâ Abſtractio ſecatur in tres ſui quaſi partes: in Phyſicam, Mathematicam & Metaphyſicam. Hoc triplex genus coniunxit Ariſt. in 1. de anim. t. cap. 17. Dicamus, inquit, quod ille, qui intendit conſiderare de paſſionibus materiæ non abſtractis ab ea, ſecundum quod ſunt abſtractæ, eſt naturalis. Ea autem quæ ſunt

non

non abstracta in rei veritate, sed sunt passiones corporis, & secundum abstractionem, intendit Mathematicus. Ea autem quæ sunt abstracta in rei veritati intendit primus Philosophus.

Abstractio Physica est, abstractio rei à materia singulari & non à materia universali. Nam unâ ex parte, Physicus totus in rebus materialibus est, considerat enim res quæ dependent à materia secundum esse & intellectum. Quemadmodum in definitione etiam non solam formam adsumit, sed formam corrogat cum materia, & ex utriusque coniunctione definit, ut eleganter disputat Themist. 1. de anima cap. 9. Altera vero ex parte non potest scientiam habere de iis, quæ sunt in materia signata seu singulari: ea enim quum sint quotidianis corruptionibus obnoxia, scientiam facere nequeunt. Abstrahendo ergo à materia singulari de universali materia differit: ut de materialibus differendo, scientia incorruptibilitatem simul obtineat.

Nam ita materia communis docet rationem, qua materiala ab immaterialibus sunt discreta: Vniversalitas vero perpetuitatem largitur. Tametsi enim universalia sint corruptibilia per accidens, quod corruptis singularibus ipsa desinunt esse: quod apud Arist. docetur his verbis in Categ. cap. de substantia, sublatis substantiis primis, nihil remanet reliquorum. De se tamen incorruptibilia sunt & in eodem statu semper permanent. Ac ita Physicus à materia singulari dicitur abstrahere quia non in hoc & illo individuo cognoscendo versatur; non tamen abstrahit à materia Univer-

sali

ſali, quia eam in definiendo aſſumit. Hoc docuit Thomas 1. pag. quæſt. 85. art. 1. ad 1. Intellectus, inquit, abſtrahit ſpeciem rei naturalis à materia ſenſibili individuali: non à materia ſenſibili communi. Sicut ſpeciem hominis abſtrahit ab his carnib. & his oſſib. quæ non ſunt de ratione ſpeciei: ſed ſunt partes individui, & ideo ſine eis conſiderari poteſt: ſed ſpecies hominis non poteſt abſtrahi per intellectum à carnib. & oſſibus.

Abſtractio Mathematica eſt abſtractio qua res ſola ratione, hoc eſt, definitione abſtrahitur à materia omni ſenſibili tam individua & ſignata, quam etiam communi. Ea Mathematico attribuitur. qui qua in definitione materiæ mentionem non facit, abſtrahere ab ea dicitur, verum ſola ratione abſtrahere, quia de rebus iis agit, quæ actu ſemper exiſtunt in materia. Nam Triangulum conſiderat, non conſiderando corpus in quo ſit: & definit figuram tribus angulis comprehenſam.

21. Hic vero dubium eſt, an Mathematica abſtrahat tantum à materia ſenſibili, an vero etiam à materia intelligibili.

In hac quæſtione unum eſt, in quo omnes conveninnt, quo ſcil. duplicem eſſe materiam, unam ſenſibilem alteram intelligibilem. Materiam ſenſibilem eſſe Phyſicæ propriam: materiam vero intelligibilem in res Mathematicas cadere. Nam hoc docuit. Ar. 7. Metaph. 1. c. 25. Quædam materia, inquit, eſt ſenſibilis, & quædam intelligibilis. Senſibilis ut cuprum, & lignum, & omnia quæ moventur. Materia intelligibilis eſt illud, quod eſt in ſenſibilibus, non ſecundum quod ſunt ſenſibilia, ut Mathematica. Alterum eſt in quo diſconveniunt:

quæ,

quænam ſit ea materia intelligibilis, quæ rebus Mathematicis propria eſt. Hic Thomæ ſententia eſt, 1. p. q. 15. c. art. 2. *Materiam intelligibilem eſſe materiam, ſecundum quod ſubjacet quantitati, abſtractam ab omni qualitate.* Quum enim quantitas prius inſit materiæ, quam qualitates, poſſe figuras & dimenſiones conſiderari abſque qualitatibus ſenſibilibus, & hoc eſſe, eas abſtrahi à materia ſenſibili. Ac hanc ſenſibilem materiam (huic intelligibili oppoſitam) definit materiam ſecundum quod ſubjacet qualitatibus ſenſibilibus, ut calido, humido, &c. Quam eandem ſententiam docuit ſubtiliſſ. Duns in 6. Metaph. q. 1. ſect. ad primum argumentum.

Aliorum ea in re contraria eſt ſententia, qui ex Ariſt. in 12. Metaph. t. c. 44. omnem ſubſtantialem materiam denegant Mathematicis, Nam præter Aſtronomiam nullam aliam Mathematicarum ſcientiarum conſiderare ſubſtantiam. Aliam ergo materiam tribuunt Mathematicis, aſſerentes eam continuam eſſe, & partes. Eam ſententiam è recentioribus docuit Piccol. de prima Mat. ib. 3. cap. 32.

22. In hac controverſia explicanda, Ariſt. ſententia notanda eſt, quam docet 7. Metaph. t. c. 35. & 8. Met. t. c. 35. nam his duobus locis materiam in ſenſibilem & intelligibilem dividit, illam Phyſicis, hanc Mathematicis tribuendo.

In priori loco principalem quæſtionem enodandam ſibi proponit, quæ eſt, num omnes definitiones partium rei ſint partes definitionis: altera, quæ eſt de prioritate totius & partium, huius occaſione nata eſt. Eam ſolvit, ponendo duo partium genera: partes ſcil. formales,

males, & partes, materiales, Formales partes vocat Averr. partes qualitatis, materiales partes quantitatis. Partes formales docet ingredi definitionem totius: ast non partes materiales. Rem explicat exemplo. Ita in definitione circuli non poni partes circuli: sed in definitione Syllabæ poni literas seu elementa. Nam elementa inquit, rationis partes sunt formæ, partes vero circuli sunt partes tanquam materia. Verum quia partes circuli dixerat esse extra rationem circuli, iam dubium nascitur non eadem plane ratione, partes semicirculi sint extra rationem circuli, quomodo æs est extra rationem circuli facti in ære. Ad quod respondet, partes circuli esse propinquiores formæ circuli quam æs: nam semicirculos esse partes necessarias, sine quibus circulus esse non possit, at vero sine ære vel ferro esse posse. Et hinc materiam dividit in sensibilem, & intelligibilem. Illam dicendo, æs, cuprum: intelligibilem vero quæ in sensibilibus existit, non prout sensibilia, ut puta ipsa mathematica. Vide Averroen dicto loco comm. 34, 35.

Posteriori loco (qui est 8. Metaphys. t.c. 15.) quærit de unitate definitionis. Et respondet esse in ea unum, quia una partium induit rationem potentiæ, altera vero rationem actus. Ac quia hoc dubium poterat esse in Mathematicis, docet hoc iis cum rebus naturalibus esse commune: nam duplicem esse materiam, quandam intelligibilem, quandam sensibilem. Et semper in definitione unum sustinere rationem materiæ, alterum actus. Docent hoc exemplo: nam circulus definitur esse figura plana. Hic (inquit Averr. ad textum) figura est quasi materia, & plana quasi forma.

23. E quibus nos hæc ſequentia deducimus: 1. *M*ateria rerum Mathematicarum duplex eſt; Una non neceſſaria, alia neceſſaria. 2. *M*ateria non neceſſaria eſt ſine qua res Mathematica & eſſe & intelligi poteſt, ut ſunt cuprum, ferrum. 3. Materia neceſſaria duplex eſt: Una eſt extra rationem definitionis, alia ingreditur definitionis rationem. 4. *M*ateria quæ eſt extra rationem definitionis ea eſt, quæ obtinet rationem partium materialium quantitativarum, ut ſunt ſemicirculi, & ſectiones reſpectu circuli. 5. Materia quæ in rationem definitionis ingreditur ea eſt, quæ in definitione rei Mathematicæ potentiæ rationem obtinet. Quomodo in definitione circuli Figura eorum q. materia ratione plani, quod loco formæ vel actûs ponitur. 6. Materiam non neceſſariam Ariſtoteles vocat ſenſibilem. Ab ea planè abſtrahit Mathematicus: nam ſine ea & eſſe & intelligi poteſt res Mathematica. 7 Materiam neceſſariam vocat materiam intelligibilem, tam eam quæ extra rationem definitionis eſt. 7. Metaphyſ. t. 35. quam quæ in definitionem ingreditur. 8. Metaphyſ. t. 15. 8. propriè ergò per materiam intelligibilem Ariſt. non intelligit ſubſtantiam ſeparatam à qualitatibus ſenſibilibus, ſed partes rei Mathematicæ neceſſarias. Et ita Ariſt. intelligit in his locis Joh. Verſoris 7. Metaphyſ. quæſt. 8. not. 3. & 8. Metaphyſ. quæſt. 4. concl. 2. Hanc ſententiam expreſſit Ariſt. 3 de anim. t. 11. Et etiam, inquit, in rebus exiſtentibus in matheſi, rectum eſt ſicut ſimitas: eſt enim cum quanto continuo: ſecundùm autem eſſe, eſſe recti aliud eſt ab eo. Hic diſtinguit eſſe rectitudinis, ab eſſe continuitatis, ut eſſe formale, ab eſſe materiali, con-

tinuum

tinuum in recto materiam dicendo. 9. Nihilominus secundario subjectum abstractum à qualitatibus sensibilibus etiam potest dici materia intelligibilis: materia, quia hoc subjectum est, sine quo existere non potest res Mathematica, materia scil. quàm vocant materiam in qua. Materia verò intelligibilis, quia prior qualitate omni sensibili est. 10. Nec huic sententiæ repugnat, quod apud Aristot. in 12. Metaphys. tex. 44. scriptum est: quòd præter Astrologiam cæteræ disciplinæ Mathematicæ de nulla substantia sunt. Verba Aristot. sunt: Astrologia de substantia sensibili quidem, at sempiternâ speculatur: cæteræ verò (scientiarum Mathematicarum) de nulla quidem substantia, veluti quæ circa numeros, atque quæ circa Geometriam. Quo loco Arist. non videtur ita communem planè substantiam excludere à Mathematicis, ut materia intelligibilis, quæ est substantia sejuncta à qualitatibus, materia remota seu subjectum in Geometricis dici non possit. Sed eam tantùm substantiam, quam dixerat, substantiam scil. sensibilem, & eam substantiam, quæ Astrologiæ est, sempiternam, cœlum nimirum. Quæ sententia non absurdè è 2. Phys. cont. 19. & 20. colligi posse videtur. Ac hæc pro conciliatione diversarum sententiarum de abstractione Mathematica, ut probabiliter dicta, accipiantur.

24. Abstractio Metaphysica est abstractio re & ratione à materia. Et ita dicitur, quia nec ad esse, nec ad essentiam, hoc est, nec ad definitionem, nec ad existentiam sui requirit materiam. Hæc ea est, quam huius c. n. 4. abstractionem rerum immaterialium dicebamus, de qua fusè eo loco egimus.

25. Usum

25. Usum huius distinctionis ponunt in scientiarum speculativarum limitibus sejungendis, triplex speculativæ disciplinæ genus pro triplici abstractione à materia ponentes; ut Physica ponatur iuxta abstractionem à materia signata, Mathesis iuxta abstractionem ratione à materia, Metaphysica per abstractionem re & ratione à materia, ut docet Avic, Logicæ suæ part. 1. c. 1. & Thom. opusc. 70. quod est super Boëtium de Trin. q. 5. art. 1. De qua re quid sentiam, ita alicubi disputavi.

26. Quænam sit ratio divisionis Philosophiæ Theoricæ in Metaphysicam, Physicam & Mathesin?

Communis est sententia divisionem Philosophiæ desumi è diversitate abstractionis rerum à materia, ut Metaphysica versetur in rebus re & ratione abstractis à materia: Mathematica in rebus ratione à materia abstractis: Physica in rebus abstractis à materia singulari seu signata, non tamen à materia seu communi universali? Et eam sententiam egregiè commendat nobis Thomas opusc. 70. quæst. 5. art. 1. & videtur multo antè fuisse approbata ab Avicen. Log. part. 1. cap. Rem, quia aliquanto subtilius proponit Thomas, eam ex eius opinione explicabimus Scientias distingui è distinctione obiectorū omnibus jam notum est. Verùm non quælibet obiecti distinctio infert distinctionem disciplinarum: sed ea tantùm, quæ præcise è ratione obiecti dependet, seu quæ desumitur ex obiecto, quatenus est obiectum. Ea verò ratio obiecti duplex est: Una desumitur ex ordine ad intellectum, altera ex ordine ad scientias.

Obiectum ex ordine ad intellectum requirit ut sit immateriale: nam obiectum & potentia

tentia necessarium est, ut sint in proportione quadam constituta: ea vero proportio est penes immateriale. Nam intellectus immaterialis est, obiectum ergo ut sit immateriale, necesse esse videtur.

Ex ordine vero ad scientiam obiectum requirit, ut sit immobile & immutabile: quod enim sub scientiam cadit, necessarium esse debet, ut docetur apud Aristotelem, 1. post. cap. 4. Necessarium vero esse non potest, quod est motui & mutationi quotidianæ obnoxium. Immobile ergo & immutabile erit ex ordine ad scientiam obiectum: immateriale v. ex ordine ad intellectum.

Hoc ergo sensu intelligitur, quod ratio obiecti quatenus est obiectum, est posita in abstractione à motu & materiâ.

Triplex vero est ea abstractio, ut antè fuit dictum; triplex ergo scientia theorica pro obiectorum eorum diversitate.

Hac de re nostra hæc est sententia: Duobus modis scientiam & disciplinam posse dici unam; Uno modo unam secundùm speciem, alio vero secundùm aggregationem. Secundùm speciem una esse dicitur, quæ unius speciei affectionis scientiam habet de subiecto per propria principia. Et hoc modo multiplicantur scientiæ pro diversitate demonstrationum & conclusionum. Nam unaquæque scientia suum habet proprium & adæqnatum subiectum & propriam causam, quæ nulli alii scientiæ potest esse adæquata. Singulæ quoque demonstrationes suis limitibus secundùm speciem circumscribi possunt. Secundùm aggregationem vero ea scientia dicitur una, quæ tametsi plures specie inter se differentes

tes conclusiones complectitur, una tamen dicitur, quia inter plures eas conclusiones ordo quidam est & convenientia quædam in principiis ac modo considerandi. Et hoc modo diversæ specie demonstrationes & scientiæ concurrunt ad unam disciplinam constituendam, quatenus ordinem tantùm habent ad unum aliquod subjectum, quod certo considerandi modo circumscribi potest. Hoc verò modo scientia una dici potest duobus modis: vel quòd necessariò ita sit, vel quòd è placito & consensu authorum, qui in distinctis disciplinis erant excellentes. Priori modo valdè mihi probatur Scoti sententia in 6. Metaphys. qu. 1. sect. post ergò longam inquisitionem: ubi docet, non posse haberi divisionis hujus Philosophiæ in tres partes seu scientias sufficientiam per rationem aliquam necessariam. Nam quum multa inquireret, quæ pro ejus veritate confirmanda facere videbantur, nihil tamen erat, quod suam non pateretur exceptionem. Et hoc modo si de proposita dividendi ratione juxta triplicem abstractionem, loqui velimus, non videtur ea sufficiens esse ad Philosophiæ divisionem probandam. Nam & ejus abstractionis quæ re & ratione abstrahit à materia diversitas quædam est, ut quædam abstrahant re & ratione secundum essentiam, quædam verò tantùm secundùm indifferentiam. Et pro hujus abstractionis diversitate alii multiplicant scientias, aliis quidem in duas partes, aliis verò in tres etiam partes seu diversas disciplinas Metaphysicam dispescentibus, nec potest sufficienter ea sententia impugnari. Ita in abstractione eâ, quæ solâ ratione à materia abstrahit, cujusmodi Quantitati tribuitur, non

non potest unitas unius disciplinæ poni; nam quantitas æquivocè dicitur sub hac abstractione de continua & discreta quantitate: quæ verò æquivoca sunt, eorum non potest esse unitas scientiæ. Et hujusmodi multa adduci possent. E quibus patet, quòd non possit ratio esse sufficiens ad ponendam triplicem scientiarum speciem. Sin posteriori modo intelligamus triplicem poni partem speculativæ pro triplici hac abstractione è placito potiùs & instituto authorum, ut essent limites certi, quibus scientiæ ab invicem dispescerentur, jam facilè assentior, disciplinarum utilitati & commodo inservire, ponere disciplinarum terminos, ut quæque separatim addisci possit sine alia, ne in confusa disciplinarum mixturâ ingenia confundantur.

Ac hæc de Abstractione diximus.

CAPUT XI.

Quid sit Ens Increatum, & Creatum?

I.

ACTUM *& potentiam consequuntur divisiones Entis: in Creatum, & Increatum; Ens à se, & ab alio; Ens necessarium, & possibile; Infinitum & Finitum; Independens & Dependens; Principium & Principiatum.*

2. *Hi termini considerantur, vel in Quid, vel in ordine inter se.*

3. *In quid dicimus hos terminos considerari, vel considerando quid nomen cujusque horum terminorum significet, vel expendendo eorum naturam in esse, proprietatibus, & speciebus. De singulis verò agemus.*

4. *Ens increatum illud dicimus, quod à nullo, alio à se, dependet in esse, quia ipsum à se ipso est ab æterno. Ejusmodi Ens solus Deus est.*

5. Ens

5. *Ens verò creatum est, quod de non esse ad esse progreditur.*

6. *Duplex verò in universum modus esse videtur, quo res à non esse ad esse procedunt: Alter è non præexistente materia est: alter verò è præexistente. Illum Creationem dicimus, hunc Generationem. Vterque verò ita se habet.*

7. *Creatio est productio entis è non præexistente materia, ab infinita virtute facta, ad speciem ordinata, ad individua terminata.*

8. *Productio est: non immanens ea. Suppositis enim producens & productum differunt. Productio est: non per transmutationem, ea enim cum conatu est, sed medio quodam modo facta, transiens scilicet per emanationem.*

9. *Transiens: est enim actio productiva termini alius ab agente, quæ ita definitur apud Nicol. de Orbellis in 1. sentent. dict. 3. quæst. 8. & Const. Sarnanum direct. Theol. mihi p. 61.*

10. *E non præexistente materia, hoc est è nihilo. E nihilo enim dicimus, non ut è materia, sed ut à non termino subjectivo ad terminum realem: ordo potiùs est, quàm materia, ut docemur apud Thom. 1. p. quæ. 45. art. 1. ad 3. & Lambertum de Monte Domini 1 Phys. t. 40.*

11. *Itaque motus creatio non est: non enim cum successione est, quia non est subjectum, in quo sit successio. Actus, inquit Piccol. 1. de creat. c. 1. Creatio est: est actus perfectus simul & totus: actus imperfectus motus; est enim in fieri juxta prævias dispositiones per successionem ad terminum ad quem.*

12. *Nihil tamen impedit, quò minùs mutationem eam dicamus: non quòd facta sit per eductionem è potentia materiæ: sed ut procedit de esse objectivo tantùm ad esse extra, & prout quod*

antè

antè tantùm esse poterat, hoc per creationem est.

13 *Estque ab infinita virtute facta: non enim proportio est inter terminum à quo, & terminum ad quem, Ens scilicet & Nihil seu non Ens: nec igitur proportionata actio finita, Creat igitur non nisi Deus, infinitæ enim virtutis. Virtutis, inquam, infinitæ: quia virtutis universalissimæ. Oportet verò, ut est apud Thom. universaliores operationes, ad universalissimam causam reducere: universalissimus actus creatio est. Vnius igitur Dei. Vide Scal. 6. Poët. c. 4.*

Hoc elegantissimis verbis expressit Tertull. in Apolog. cap. 17. Quod colimus & nos, inquit, Deus unus est, qui totam molem istam cum omni instrumento elementorum, corporum, spirituum, verbo quo jussit, ratione quâ disposuit, virtute quâ potuit, de nihilo expressit in ornamentum majestatis suæ, unde & Græci nomen mundo κόσμον accommodaverunt.

14 *Ad speciem ordinata: quia ad mundi perfectionem. Ea verò non in individuis, sed in speciebus est: individua secundariò mundum perficiunt, quia in iis specierum perfectio, ut sint: species principaliter, quia ad speciei interitum mundi interitus est, nulla mundi imperfectio ex individuorum interitu. Ad speciem igitur creatio, quia ad mundi perfectionem. Vide Tho. 1. p. q. 23. art. 7.*

15 *Ad individua terminata: actionis enim terminus singularis est Arist. 1. Meta. cap. 1. Sunt certè non nisi in individuis species, ac in iis solis conservantur: non quòd specierũ esse ab individuis sit, sed quod existentia speciei nõ est, nisi in individuis, ut patet per Arist. in Categ. cap. de substantia.*

16 *Creatio consideratur, vel ut activa, vel ut passiva, ut docetur apud Lambertum de monte Domini 1. Phys. t. 40. Activa dicitur, non ut*

agens

agens ipsa, sed ut agentem causam denotat: nec passiva, quòd patiatur ipsa, sed prout ad terminum, qui fit, ordinatur. Itaque creatio activa nihil aliud est, quàm potentia Dei creans: passiva verò creatura creatione producta, ut nobis videtur ea probabilior sententia, salvo interim doctiorum eâ in re judicio.

17 *Itaque creatio relatio est: dicit enim actionem Dei referentem sese ad creaturas. Non tamen pura realis relatio: in Deo enim de novo per creationem nihil est, quod eum faciat vel alium, vel alio modo secundum rem sese habentem: rationis igitur. In creaturis verò alietas est, quæ enim non erant, post sunt: in iis itaque relatio realis est. Mixta igitur, ut colligitur è subtilissimo Duns 1. sent. d. 8. q. 2. sect. hîc sunt duæ opiniones.*

18 *E dictis verum esse patet, quod est apud subtilissimum Duns in 2. sent. d. 18. sect. hîc videndum est: Creationem esse productionem, quæ excludit præter causalitatem Dei omnem causalitatem, & causæ materialis, & formalis, & efficientis creati.*

19 *Et hæc quidem Creatio simpliciter ita dicta est, quam & immediatam vocant. Mediata vero creatio est, quando Deus virtute sua ex materia quidem, sed per naturam in dispositâ, aliquod opus producit: quomodo ex aqua & terra viventia omnia condidit. Vide Tertull. adversus Hermogenem. Tantùm de Creatione: sequitur de Generatione.*

20 *Generatio est mutatio totius, nullo subjecto sensibili remanente, ut eodem. Definitio Arist. est in lib. de Ort. & Int.*

21 *Mutatio est: non impropriè dicta, sed propriè. Est enim in subiecto mutabili, quod de privatione ad formam transit, ut habetur apud Ni-*

c. de Orbel. in 1. d. 5. q. 2. *Motus tamen propriè non est, nisi cum prævijs alterationibus accipiatur: Est enim actio indivisibilis, non enim nisi in momento forma indivisibilis introducitur; ast motus omnis divisionem patitur, ut est apud Arist. in Phys.*

22 *Est mutatio totius: hoc enim substantiis proprium est, ut habetur apud subtiliss. Duns in 2. sent. d. 12. q. 1. sect. hic dicit una opinio, ut quemadmodum in iis totum propriè est, in accidentibus tantùm secundùm quid, ita totius propriè sit generatio, alteratio quæ in accidentibus fit, non sit nisi totius secundum quid.*

23 *Dextre tamen intelligendum est, generationem esse mutationem totius: accipendum enim non categorematicè, ut loquuntur, hoc est, de quavis parte, quòd generetur; sed syncategorematicè, hoc est, de toto, ut collective accepto, supponit enim generatio materiam, non generatur ea, & secundum plurimorum sententiam, anima humana non generatur, sed creatur. Totius tamen generatio est, eò quòd per generationem fit partium unio & conjunctio. Quemamodum dicimus, totum hominem mori, eò quòd totius fit dissolutio, cujus tamen singulæ partes remanent.*

24 *Nullo subjecto sensibili remanente ut eodem: non quòd subjectum generationis destruatur, est enim materia, quam cum Scal. ex 6. ingenerabilem et incorruptibilem facimus, ejus itaque essentia, quam Entitativam vocant, eadem semper est: nec per generationem destrui potest. Et sensui adversatur, non remanere idem sensile subiectum: per corruptionem enim hominis generatur cadaver, remanente eâdem materiâ et iisdem accidentibus. Sed intelligendum de subjecto ut eodem secundùm esse specificum, ut scilicet*

non

non tollatur Quod est, sed Quo est: corpus verbi gratia, humanum quod erat, fiat cadaver, corpus nimirum diversæ speciei, à corpore humano.

25 *Hinc jam sequitur, verum esse quod Arist. scribit in* 1. *de Gener. tex.* 17. *Vnius corruptionem esse alterius generationem, & contra: quòd si enim per generationem est mutatio totius, non tamen totaliter accepti, hoc enim annihilare dicimus; nec tamen subiectum remanet idem: ergo semper per generationem fit aliquid, quod est diversæ speciei à priori. Non enim fit non species; quia natura non potest annihilare: nec remanet eadem species, non enim idem sensile subiectum, ut idem: diversa ergo species, quæ cùm in necessaria concomitantia sit, perpetuitatem generationis & corruptionis mutuam inducit.*

26 *Hinc porrò sequitur, si accuratiùs agamus: Generationem & corruptionem, eundem numero esse motum: quia non per alium & alium actum est generatio & corruptio, sed per eundem omninò, ut quæ actio inducit hominis corruptionem, eadem inducat cadaveris generationem.*

27 *Itaque hæc: Generatio est corruptio, non tantùm est vera secundùm concomitantiam, ut loquuntur: sed & secundum formalem sensum. Non enim effective, Generatio unius est corruptio alterius, sed formaliter: quemadmodum formaliter per corruptionem caloris gignitur frigus. Qua de re vide eleganter differentem Zabar. in lib. de gen. & interitu.*

28 *Porrò generatio alia est univoca, alia æquivoca. Æquivocam eam dicimus, quâ dissimilia specie ac formâ producuntur, ut quando Sol ranam producit. Vnivocam eam quâ eadem species generatur: eaque immediata est, vel mediata. Immediatam eam dicimus, quâ quid per sui ipsius*

promotionem sibi idem specie generat, ignis verbi gratia ignem. Mediatam, quando mediante semine, ut homo hominem beneficio seminis. Atque hæc breviter etiam de Generatione dicta sufficiant. At hæc doctrina de Generatione Physici propria est: quoniam verò utramque doctrinam de Creatione & Generatione Steinfurti aliquando (5. die Decem. anno 1608.) publicè conjunctim defendi, omittere alteram partem nolui.

COMMENTARIUS.

ELegantissima sunt verba subtiliss. Duns in initio Quodlibetorum: rem prima sui divisione posse dividi in rem creatam & increatam, sive in rem à se, & in rem ab alio habentem esse, sive in rem necessariam & possibilem, sive in rem finitam & infinitam. Quibus quidem verbis duo voluit innuere Scotus. alterum est immedietas, ut ita loquar, alterum identitas. Immedietatem puto, quando dicit esse primam Entis divisionem: identitatem vero, quatenus unam hanc Entis divisionem variis nominibus voluit exprimere: quæ quanquam secundum nos diversitatem quandam habere videntur, secundum rem tamen idem simpliciter dicunt. In immedietate comprehensa ratio modorum intrinsecorum est: hi enim ejus naturæ sunt, ut ita connectantur cum eo, cuius modi sunt, ut non videantur rem per modum attributorum propriè dictorum attingere, ut colligi potest è 1. sent. d. 3. Scoti, sed propriùs ad ipsius rei naturam accedere, tametsi ipsum primum rei momentum, seu prima perfectio non sint. Ea itaque de causa duo circa dictam divisionem agemus: 1. Ipsos terminos explicabimus. 2. ordinem horum terminorum considerabimus.

Ac

Ac primo quidem dicemus, quid sit increatum & creatum. Increatum tribus modis cognoscere possumus, secundum Dionys. in 4. de nominibus, ut est apud Antoninum 1. p. sum. maj. tit. 13. c. 2. s. 5. 1. in ratione virtualis continentiæ. 2. in ratione actualis efficientiæ 3. in ratione finalis concupiscentiæ. Ac in ratione virtualis continentiæ quidem: quatenus est communis mens omnium producendorum, seu habet in se exemplaria & ideas creandorum: sui vero creandi Ideam non habet, sed absolutè in se actu omnes virtutes eminentissimo modo continet. Sunt vero hæ ideæ nihil aliud, quam divina essentia, secundum quod imitari potest ipsam aliquod creatum. Eo itaque modo cognoscimus increatum, ut in se continens omnia, ut ipsum à nullo alio contineatur. In ratione vero actualis efficientiæ per modum independentis causalitatis. Is enim ordo rerũ est, ut in causis essentialiter subordinatis in infinitum procedere nequeamus, sed demum ad aliquod ultimum deveniamus, quod unum ultimum independens Increatum dicemus, ut dependentia omnia creata, ut hoc ipsum ex Arist. 8. Phys. & 12. Metaph. deductum videmus in centilogio Wilh. Occami. In ratione vero finalis concupiscentiæ, quatenus cum ferimur ad aliquod per se & ex se desiderabile, ad aliud de se non ordinatũ, non possimus nos continere in creatis, sed ad aliquod creatis superius necessario appetitum nostrum conferimus. Quod ut meliùs intelligatur, sciendum, quod finis dupliciter dicitur: nimirum gratiâ cujus, & quo. De fine cujus si dicamus, quatenus in eo boni aliqua ratio reperitur, sic omnia conveniunt in ultimo fine, qui Deus est. Est quippe Deus prima omnis bo-

ni mensura, & quatenus mensurabile habet aptitudinem ad mensuram, sequitur omninò, quòd finalis concupiscientia in primo illo bono terminetur, quod bonum increatum dicimus, quoniam mensura ipsum est, mensurabile nunquam. Aliàs si finis nomine velimus intelligere finem. Quo, quatenus non omnes omnia assequuntur, hunc ipsum finem cognoscendo & amando, non necessarium est, ut finalis concupiscentia eo modo ad primum illud bonum independens sese referat. At è dictis innotescit nobis, increatum illud esse, quod in se habet negationem omnis dependentiæ, sed ordinatum est ad hoc, ut omnia ab ipso dependeant. Entis verò creati cognitio indiget cognitione triplicis dependentiæ à primo, scilicet exemplari, efficienti, & fine, ut est traditum apud Fons. 4. Met. cap. 2. q. 1. s. 7. eâ scilicet ratione, ut quod opus habet conformatione ad aliud, quod eget causa à qua sit, & quod à se ipso terminari non potest, hoc omne Ens creatum dicamus. Ejusmodi verò omnia ea sunt, quæ sunt alia ab ipso primo Ente Deo nimirum, Omnia n. habent imitabilitatem, ut ita loquar, ad ipsam essentiam divinam, quæ eorum causa exemplaris est: & cùm horum nihil à se ipso sit, causa alia opus habent, à qua sint, & cùm non sint sui ipsius gratia, sed operentur ad majorem perfectionem obtinendam, manifestum certè est, quod cum Ente increato eandem naturam non obtineant. Quod ut fiat clarius, per certa membra diducemus, quomodo exemplar Entis increati participent, quomodo à primo efficiente sint, & quomodo in eo tanquam in fine terminentur.

Atque ad exemplar quidem quod attinet, ponimus hoc ipsum juxta potentiam obiectivam

rerum:

rerum: quatenus sunt possibiles fieri secundum hanc formam. Ens enim increatum, non habet potestatem fieri, nec habet sui exemplar · est enim exemplar propter agens, quatenus illud ipsum nihil aliud esse dicimus, quam formam, per quam agens operatur. Creata verò quatenus habent potestatem ad fieri, requirunt etiam exemplar, iuxta quod fiant secundum hanc formam in specie. Et hoc exemplar etsi quoad nostrum concipiendi modum ad cognitionem & scientiam non conferat, quoniam eius ipsius cognitionem intuitivam habemus nullam, ac rem æquè in universali conciperemus, si eiusmodi exemplar daretur nullum: de se tamen & in se res habet ad ipsam dependentiam, quoniam distinctio ipsarum rerum specifica à priori, dependet ab exemplari: ut enim res hæc non sit eiusdem speciei cum illa, causa est, quia hæc habet distinctum exemplar ab illa. Egimus verò de Idea fusiùs Antidoti nostri lib. 2. cap. 22.

Finis vero dependentia manifesta est juxta conclus. 4. subtiliss. Duns, quam ponit in libel. de primo principio cap. 2. Quod non est finitum, non est effectum. Ratio conclusionis est: cùm enim quicquid per se fit, temerè non fiat, necessarium est, ut fiat cum intentione finis: unde est illud Arist. 2. Phys. text. 49. 61. 75. agens per se, omne agit propter finem, quia nullum frustra. Cum vero creatorum nihil per accidens, casu vel fortuna exstiterit, requirunt omnino ut à fine dependentiam habeant. Hæc vero dependentia finalis in iis, quæ sunt infra hominem manifestè terminatur ad hominem, iuxta quod apud Scalig. disputatum est exerc. 260. quod omnia propter hominem facta sunt: Homo verò propter Deum est. E qua mutua rerum inter

se connexione clarum est, quod omnium creatorum finalis dependentia sit ad aliquod primum, quod propter se est, non propter aliud; alia vero omnia propter ipsum. Atque ita ab increato in ratione finis dependere dicuntur. Quum enim quod non est effectum, non sit finitum, ut habetur in dicto cap. 2. libelli de primo principio Joh. Duns; creata omnia in ratione finali ab increato dependeant oportet, ut ab eodem effectivè sint. Finis enim de se non est, nisi sit agens, quod intendat finem, & propter eundem operetur. Quod itáque non habet agens à quo fiat, idem nec finem propter quem ab agente fiat. Quæ ergo habent finem, necesse ut habeant agens, quod ea sub ratione finis eligat. Creata verò omnia ab increato in ratione causæ efficientis dependeant necesse est. Hæc vero ratio effectiva non tantùm terminatur ad fieri, sed etiam ad esse. Etsi enim in particularibus, causis ita se habeat, ut docente Scalig. exer. 28. non sit necessarium efficientes particulares simul cum suis effectibus perpetuari, sed tunc hærere tantùm cùm efficiunt: prima tamen causa universalis, tam ad fieri, quam ad esse, & perpetuationem seu conservationem ipsius esse requiritur. Solum primum efficiens, quia ævi dominus, effectus suos comitatur: juxta quod dicimus, quod in ipso simus, vivamus & moveamur.

CAPUT XII.

De Divisione Entis à se, & ab alio.

I.

ENs *vel à se vel alio est.*

2. *Ens a se illud dicimus, quod non habet ordinem ad aliud à quo sit.*

3. *Ens*

3. *Ens ab alio eſt; quod eſt ex ordine, ſecundum quem reſpicit prius, à quo dependet in eſſe.*

COMMENTARIUS.

GRaviſſimus autor Seneca in exhortationibus ſuis, ut eſt apud Lactantium lib. 1. de falſa religione cap. 7. graviſſimis verbis exclamat: nos aliunde pendemus. Itaque ad aliquem perſpicimus, cui quod eſt optimum in nobis debeamus, alius nos edidit, alius nos inſtruxit: Deus ipſe ſolus à ſeipſo eſt. In quibus verbis duo notanda veniunt: alterum eſt, aliud Ens eſſe à ſe, aliud ab alio: alterum modus ſecundum quem illud Ens à ſe, & hoc eſt ab alio. Primum innuitur in hiſce verbis aliunde, & ipſe à ſeipſo. Poſterius in his: nos pendemus, Deus ipſe à ſe eſt. Circa primum ſciendum, quod A vel AB quandoque latius accipitur, quandoque vero ſtrictius. Latius accipitur in genere, pro quacunque habitudine principiantis ad principiatum: quomodo Tho. in opuſc. 9. quod eſt reſponſio ad M. Johannem de Vercellis q. 20. dicit, eſſentia divina in filio eſt à patre: ſcilicet per rationem originis, quemadmodum innuit Auguſt. in lib. de triplici habitaculo cap. 6. ut eſt apud Conſtant. Sarnanum in direct. Theol. quando dicit, quod in patria videbimus, quod pater eſt prior origine filio, nam ubicunque eſt hoc, ab hoc, illud à quo eſt, hoc eſt prius origine, & illud quod eſt ab eo, eſt poſterius: ſed in divinis Pater & Filius ſic ſe habent, ut Filius ſit à Patre. Strictius vero accipitur, quando A vel AB deſignat tantum habitudinem principii effectivi, ut eſt apud Thom. in 1. diſtin.

32. quæst. 2. art. 2. Priori significatione non accipimus hoc loco à se, ab alio: diximus enim quod divisio habeat identitatem, cum proxime præcedente in Ens increatum & creatum: at Filius qui est à Patre, non est Ens creatum, sed æque increatum ac Pater. Sed posteriori significatione in divinis ad intra non est à vel ab: sed tantum in operibus ad extra, hoc est, à divinis effective dependent creaturæ. Ea ergo ratione explicandum est, quid sit esse à se & esse ab alio. Dicendum vero, quod esse à se neget dependentiam alicujus ab aliquo effectivam, hoc est, esse à se negat requirere aliquid ad sui esse, à quo quoquo modo sit, principaliter tamen negat principium effectivum. Itaque quando Ens dicitur à se, non additur Enti quid positivum: nihil enim additur enti, qua Ens, per hoc quod a se sit, quo formaliter & positive constituatur, sed tantum negatur esse ab alio: & hæc negatio, non est privativa, quia in hoc Ente a se non est aliqua aptitudo ad esse ab alio, sed est pura negatio, quatenus repugnat Deum esse ab alio. Esse vero ab alio addit Enti aliquem respectum: dicit enim esse Ens, quod supponat seu ante se requirat aliud Ens cum habitudine ea, ut ab eo habeat dependentiam. Ideoque additur Enti modus aliquis realis positivus, isque non absolutus, sed respectivus ad Ens a se.

Circa secundum, dubius est modus, quomodo Deus sit a se, res creata ab alio. Fran. Suaretz. in disp. 28. sect. 1. nu. 7. reprehendit Lactantium, quod dicat Deum ex tempore se fecisse. Error certe in se gravis, verum injuriam facere Lactantio videtur Suaretz. Verba Lactantii in 1. de falsa relig. sunt hæc: retrahere se, inquit, homines ab erroribus & abjectis religionibus,

nibus, cujus nec virtus existimari potest, nec magnitudo perspici, nec principium comprehendi, cum ad illum humanæ mentis intentio & acumen, & memoria pervenerit, quæ si subactis & consummatis omnibus suis subsistit, hæret, deficit, nec est aliquid ulterius, quo progredi possit. Verum quia fieri non potest, quin id, quod sit, aliquando esse cœpit, consequens est, ut quoniam nihil ante illum fuit, ipse ante omnia ex seipso procreatus sit, unde ab Apolline αὐτοφυὴς à Sibylla αὐτογενὴς, ἀγέννητος, & ἀποίητος nominatur. In quibus verbis duo innuit: primo negationem principii omnis, & secundo negationem principii post aliquod eorum, quæ facta sunt. Prius in confesso est, per rationem ordinis, quia necessario ad unum primum devenimus, nisi in infinitum progredi velimus, quod dicamus principium sine principio, hoc est, esse sibi ipsimet naturam, seipso esse genitum, respuere omnem generationem, seipso esse factum. Posterius vero etiam patet ex connexione cum antecedentibus, dicit enim principium Dei non posse comprehendi, dicit, ipsum ante omnia ex seipso procreatum. Non ergo in tempore, quoniam partim omne principium secundum tempus est comprehensibile, partim etiam tempus ex ipso primo mobili metimur; at cum ipse ante omnia sit & dicatur, ipsius generationis durationem a primo mobili metiri non possumus. Ergo nec è tempore. At dicit, aliquando cœpisse. Respondeo: quod hoc intelligendum quoad nostrum concipiendi modum, nos enim metimur æternitatem & æviternitatem è coexistentia, antecedentia, & consequentia ipsius temporis, quoniam non nisi ad tempus vel concipere, vel mensurare æternita-

tem

tem possumus: quomodo & 2. Psal. dicitur: hodie genui te, ubi tempus definitum propter conceptum nostrum pro æternitate ponitur. Itaque ex his non videtur dicendum, quod Lactantius metiatur esse Dei à se secundum tempus: ita ut in tempore à se factus dicatur. Modus ergo Dei esse à se, est excludere omne principium tam effectivum, quam etiam durationis.

Esse vero ab alio duplici modo potest intelligi: vel formaliter, & ita nullum est Ens ab alio, sed quodque seipso per suam formam est in hac specie: vel effective, & ita creata omnia sunt ab alio. Hoc vero modo omnia ab alio intelliguntur: vel quoad speciem, vel quoad numerum. Quoad speciem omnia immediate sunt à Deo: dependent enim species a Deo per creationem: quoad numerum vero immaterialia pendent etiam immediate a Deo. Verum materialia mediate, mediante scil. generatione, hæc enim ad momentum terminatur. Ac hoc modo intelligendum, quod Ens vel sit a se, vel ab alio.

CAPVT. XIII.

De Necessario & Contingenti.

I.

ENs est vel Necessarium, vel contingens.

2. *Necassarium est, quod aliter esse non potest.*

3. *Ejusmodi est, quod actum purum habet, exclusa omni potentia ad essendum. Ita solus Deus est necessarium Ens.*

4. *Necessarium vero est vel simpliciter, vel secundum quid.*

5. Ne-

5. *Necessarium simpliciter est, cui repugnat vel non esse, vel aliter esse. Ita vero est quod per omnia sibi omnino sufficit, & quod secum omni ratione convenit, ut Deus.*

6. *Necessarium secundum quid est, vel sufficientiæ, vel deficientiæ, vel disconvenientiæ Bonavent. in 1. d. 6. 1. n. 5.*

7. *Necessitas sufficientiæ est, quando aliquid ex omnibus causis ad effectum concurrentibus productionem habet necessariam: hæc est necessitas causæ Physicæ.*

8. *Necessitas ratione deficientiæ: est vel indigentiæ, vel inevitabilitatis.*

9. *Necessitas ratione indigentiæ est, quando aliquid ad sui conservationem quibusdam indiget, quibus deficientibus deficit & ipsum, ita cibus & potus necessarius est.*

10. *Necessitas inevitabilitatis est, necessaria quædam consequentia ex defectu ortum habens, ut mors.*

11. *Necessitas disconvenientiæ: aut est violentiæ, aut coactionis.*

12. *Necessitas violentiæ, quando aliquid contra naturam agitur: necessitas coactionis, quando aliquid fit contra voluntatem.*

13. *Contingens est, quod deficit à necessario: itaque aliter esse potest.*

14. *Contingens est vel absolute, vel mixtum.*

15. *Absolute contingens est, quod est indifferens ad esse & non esse, ut homini ambulare.*

16. *Mixtum contingens est, quod de necessario & absolute contingenti participat: cujusmodi est, quod fit ut plurimum.*

17. *Et hinc Contingentium etiam quædam potest esse scientia.*



COM-

COMMENTARIVS.

MAgnus usus hujus doctrinæ, tam in Philosophicis, quam in Theologicis est, ideoque & hi termini accurate explicandi sunt. Est vero necessarium juxta Arist. 1. Post. cont. 194. quod non contingit aliter se habere, & explicatur ejus doctrina accurate secundum varium necessitatis modum Aristot. in 5. Metaphys. cont. 6. Solet autem fere tribus modis dividi necessitas: non modo pro diversitate causarum, ut alia sit necessitas secundum causam efficientem, alia materialis, alia formalis, alia vero finalis, ut videre est apud Bonavent. 3. Sent. Secundo modo potest explicari juxta diversa principia, a quibus necessitas dependet, qua ratione idem Bonavent. in 1. Senten. dist. 6. quæst. 1. nu. 5. metitur eam è principio disconvenientiæ, deficientiæ, & convenientiæ seu sufficientiæ. Tertio modo solet etiam explicari juxta modos absoluti & conditionalis.

Atque ad primum explicandi modum qui secundum causas est, quantum attinet, sciendum est, quod hic ipse modus non sit generalis, sed tantum dicat eam necessitatem, quæ est a priori aliquo eam necessario constituente. Namque a causa efficiente & fine tanta nobis oritur necessitas, ut ea sufficiat ad demonstrationem conficiendam: è materia vero & forma, ut definitionis fines ea ipsa necessitate terminemus, a quo duplici instrumento, demonstratione & definitione, omnis omnino sciendi modus dependet.

Ad secundum necessitatis modum, petitum pro diversitate principii, sciendum, quod eam necessitatem è principio disconvenientiæ metiamur,

ciamur, quæ contra naturæ & intentionis propensionem oritur, quomodo è movente contra voluntatem metimur coactionem. Deficientiæ vero necessitas etiam duplex est: aut enim indigentiæ, aut inevitabilitatis. Illa est, juxta quam res aliqua nata est compleri, quomodo cibus & potus sustentandæ hominum vitæ necessarius est, eo quod sine eo deficit, quia eo ipso nata est compleri natura. Inevitabilitatis vero necessitas ea est, quæ oritur ratione defectus incurrentis, quo sine res sustentari non potest, quomodo mors dicit necessitatem inevitabilitatis, quoniam defectus ille, peccatum scil. mortem in nobis gignit.

Ratio vero necessitatis sufficientiæ est, vel ex principio sufficiente in disponendo, aut in complendo. Illa est necessitas materiæ dispositæ, hæc vero immutabilitatis. Atque hæc immutabilitatis ratio in Deum etiam cadit, & quidem primario, juxta quod dicimus Deum esse, & esse necessario cum Scalig. 11. de caus. ling. Lat. cap. 116. seu in divinis esse necessitatem simpliciter dictam cum Zab. 1. Post. cont. 181. Et eo modo etiam solent quærere doctores Scholastici, ut est videre apud subtil. Joh. Duns & Fran. Maijronis in 1. sent. d. 6. An pater necessario filium producat.

Juxta tertium modum dicimus, aliquid esse absolute necessarium, possumus accipere dupliciter: uno modo, ut tantum independens dicamus esse absolute necessarium, quomodo solus Deus dicitur habere absolutam necessitatem, eo quod simpliciter & absolute se non potest aliter habere. Aliquando vero possumus accipere absolute necessarium, prout ex hypothesi, hoc dicimus tantum esse necessarium, quod

non

non ponit de se causam, sed tantum causam præstituit. Et hoc modo necessitas absoluta, non tantum independens est, sed & dependens quatenus in reipsa connexionem causarum ponit. Ex hypothesi verò quatenus non ponit causam esse in actu, sed tantum dicit, si esset causa, consecuturum affectum. Priori modo strictiùs usurpatur vocabulum absolutæ necessitatis, ut tantum in divinis eam ipsam dicamus: quomodo dicimus Deum esse, & Deum esse bonum, infinitum, &c. necessariò ita esse. Ac ita ex hypothesi necessarium esse dicitur, quod non simpliciter, sed ex alterius, aut multarum rerum positione, non potest aliter se habere: Et hoc modo necessarium ex hypothesi dicimus dupliciter: vel ex ratione divinæ præscientiæ, vel pro ratione servati ordinis naturalis. Illo modo quatenus Deus ita futurum præscivit, necessario ita sequitur esse. Notandum verò, quod præscientiam eo loco non intelligamus puram tantum notitiam: eo enim modo verum est, non res futuras, quia Deus scivit, sed Deum scire, quia res ita futuræ sunt: sed per præscientiam intelligitur notitia cum adjuncta dispositione: quando enim Deus res disponit, præscire eas dicitur, & hoc modo dicuntur res ex necessitate dependere divina præscientia, quatenus Deus eas ita disponit, ut ita sint. Pro ratione vero servati ordinis naturalis rem dicimus ex hypothesi necessariam, quatenus ordine naturæ stante & non impedito semper effectus hinc consequitur necessario, pro coordinatione earum rerum, quæ ad hunc effectum producendum sunt necessariæ.

Ac hæc varia necessitatis ratio potest considerari dupliciter; vel ut est in rebus, vel ut ve-

nit

sub propositionem. Illo modo dicitur necessitas incomplexa, hoc modo complexa. Ac incomplexa illa dicitur, prout est in ipsa rei natura, non interveniente conceptu intellectus: complexa vero quatenus intellectus fertur super res, considerans connexionem causæ cum effectu suo. Ac complexa hæc duplex est: altera materiæ seu prædicationis, altera formæ seu illationis. Illa necessitas consequentis, hæc necessitas consequentiæ communi nomine dici solet. Necessitas pro ratione materiæ tantum est inter extrema necessario inter se per causam in rei natura copulata; necessitas vero formæ in materia etiam contingenti esse potest, quatenus hæc conclusio formæ ex his præmissis necessario colligitur. De qua necessitate formæ videri potest Arist. in Prior. Analyt. Summa: Quædam necessitas est immutabilitatis, quædam necessitas est existentiæ, quædam est inevitabilitatis, quædam indigentiæ, quædam violentiæ, quædam coactionis, quædam prædicationis, quædam illationis.

Docetur etiam apud Averroem. 2. Colliget cap. 8. alia quædam necessitatis distinctio. Res, inquit, quæ est necessaria per aliam, est duobus modis: Vnus est, ut sit essentia prima necessaria essentiæ ultimæ, sicut fuit intentio consimilium necessaria propter intentionem essentiæ officialium. Hoc est: prior necessitatis modus est, ut essentia prioris concurrat vel ad esse, vel ad operationem posterioris, ita ut posterior nec esse nec operari possit sine priori. Quomodo sanguis, (is enim è consimilibus seu homogeneis est) concurrit ad officialia seu heterogenea membra: heterogenea enim membra & augentur & operantur,

perantur, vi, auxilio & beneficio sanguinis. Alius est, ut non sit ex necessitate: sed est, quia meliora sunt duo quam unum, & significat nobilitatem in agente & patiente. Sic oculus datus est ob necessitatem videndi: duo vero dati sunt, non necessario ut videas, sed ob melius, melius enim est duos habere oculos, quam unum. Quem posteriorem modum etiam notavit Antonius Scaynus, interpres Arist. doctissimus, in doctrina prædicabilium Quando enim quæritur an doctrina prædicabilium necessaria sit ad Organum Arist. docet eam non esse necessariam necessitate absoluta, sed necessitate commoditatis: seu ut sunt verba Averroris in fine commenti super prædicabilia p. 19. eam non esse necessarium necessitate introductionis vel rememorationis: quia necesse est scire eum vocabula pradicabilium, quid significent, qui in organo vult commode versari. Cujus responsionis fundamentum apud Porphyrium est in præfatione prædicabilium: docet enim necessariam hanc doctrinam, ita ut sit utilis. Necessitatem innuit his verbis: Quum sit necessarium Chrysaori. Quod sit necessitas secundum utilitatem seu commoditatem, innuit his: & ad definitionum assignationem, & omnino ad ea quæ in divisione vel demonstratione sunt *Vtilia*. Et paulo post velut introductonis modo. Vide textum Porphyrii, & luculentius ea, quæ diximus, patebunt.

Huc reduci possunt modi ii quibus docetur aliquid facere ad aliud: nam & ea solemus dicere necessaria, quæ ad aliquid conferunt.

Aliud vero facit ad aliud dupliciter: vel essentialiter, vel dispositive & instrumentaliter.

Instrumentum duplex; necessitatis & commoditatis.

In-

Instrumentum commoditatis confert, vel dispositione posita, vel privativa.

Hæc declarabimus latius. Dicimus: Aliquid facere ad aliud potest intelligi dupliciter: uno modo essentialiter, sicut id quod est essentia rei, vel pars essentiæ, sicut definitio vel partes definitionis. Alio modo dispositivè seu instrumentaliter, sicut id quod disponit ad hoc, ut sequatur aliquis effectus, & hoc sive ex parte agentis; sive ex parte passi dicitur facere seu operari ad illud instrumentaliter. Ita qualitates introductæ in materiam conferunt seu faciunt ad introducendam formam, ex parte agentis qua iis mediantibus agens producit formam. Ex parte passi, quia forma non recipitur in quacunque materia, sed in materia sibi determinata. Non enim potest introduci anima rationalis in corpus Leonis, sed in corpus dispositum dispositione humana. Instrumentum vero & ipsum duplex: Necessitatis, & commoditatis. Necessitatis, sine quo effectus sequi non potest: ita architectus non potest producere domum, si defuerit securis. Quo argumento impius Epicurus negat Deum conditorem mundi, à negatis instrumentis necessaris. Commoditatis instrumentum illud dicitur, sine quo effectus sequi potest, sed non ita prompte & expedite. Ita quædam machinæ bellicæ & stratagemata sunt instrumenta commoditatis, ad facilius debellandum hostem. Hoc vero iterum dupliciter operatur; vel secundum dispositionem positivam, quomodo agrum bene colens positive bene disponit ad fruges enascendas. Vel secundum dispositionem privativam, ita qui removet impedimenta, ut qui Zizania tollit, vel qui tollit impedientia motum lapidis. De qua dispositione privativa

&

& positiva etiam poterit videri Zimara in quæ. de primo cognito. Vide Antonin. 4. par. sum. maj. tit. 12. cap. 4. sect. 12.

Possibile etiam non uno modo dicitur, ut est apud Thom. 9. Meta. lect. 4. uno enim modo sumitur possibile impropriè, ut est commune ad Necessarium & ad contingens: alio vero modo ut dividitur contra Necesse. Juxta quod notandum, quod apud Bonavent. est in 1. dist. 42. q. 4. nu. 32. Possibile uno modo esse ad esse, alio modo possibile esse substantiæ agere, tertio modo possibile esse ad fieri. Possibile ad esse non dividitur contra necesse, quoniam n. res ita est, & potest esse: ita n. bene dicere possumus, Deum esse est possibile: ita n. dividit contra impossibile. Possibile vero substantiæ ad agere est potentia activa, & hoc modo nihil aliud denotat, quam hoc ipsum, quod est posse etiam agere, ac ita nec hoc modo possibile à necessario contradistinguitur, quoniam & hoc, quod necessario est, & hoc quod contingenter est, potest agere, & quædam substantia habet potentiam ad agendum necessario, quædam vero contingenter. Possibile vero ad fieri denotat potentiam passivam. Ita ergo si concurrit divisio Entis in Necessarium & Possibile, cum ea quæ est à se & ab alio, solum Ens increatum necessarium est; possibilia reliqua omnia, quoniam omnia fuêre in potentia objectiva Dei. Communiter autem possibile idem est quod contingens, seu quod aliter sese potest habere. Et ita duobus modis solet accipi: aut enim ita dicitur, quod sese habet ut plurimum, ut sunt ea, quæ fiunt à natura: ea enim tantum dicuntur contingentia, quatenus possunt recipere aliquod impedimentum: quomodo habere quinque digitos est contingens

gens ut plurimum, nisi enim quid impediat, ita est. Alio vero modo contingens dicitur, ut indefinitum & incertum: idque dupliciter, aut raro, aut æqualiter, Raro ea dicuntur, quæcunque per accidens fiunt ratione causæ, ut sunt fortuita & casualia: ut hominem invenire thesaurum. Alias enim Rarum quod est, quoniam causa à qua dependet raro fit, contingens non dicimus, quomodo Eclypsis, fit ratione causæ raro, quoniam raro causa ponitur ipsius Eclypseos, quandocunque vero ponitur causa, effectus etiam necessario ponitur non contingenter. Æqualiter vero fieri illud dicimus, quod â libero voluntatis arbitrio dependet, quomodo ambulare contingens est, quoniam liberum est ad utrumque, Qua de re vide Aristotelem 1. Prior, capite 13. Ac hæc contingentia incomplexa est, quatenus in ipsius rebus est; complexa vero, quando consideramus eam in ordine ad prædicationem, quatenus scilicet in ea nulla est subjecti cum prædicato essentialis connexio.

Clarius aliquanto hanc doctrinam aliquando ita proposuimus. Quoniam non universi tantum, sed & ad singularum penè rerum inter se conjunctionem & connexionem, causarumque etiam veritatem cognoscendam necessitatis & contingentiæ leges scire plurimum expedit: non inutilem operam navare videbimur, si in hanc disputationem ingrediamur, ut necessitatis & contingentiæ gradus evolvamus. Ita enim plurimas difficultate, evitare poterimus, quas resolvere aliis satis arduū visum fuit. Primus gradus necessitatis est is, secundum quem res dicuntur necessariæ necessitate absoluta seu simpliciter, ita ut ejus oppositum sit sim-

simpliciter impossibile. Ejusmodi necessitas cadit in Deum ejusque attributa, quæ ita Deo conveniunt, ut ea abesse sit impossibile. Ita Deus est, & Deus est infinitus, simpliciter est ntcessarium. Dicere enim Deum finitum, est dicere non esse Deum. Et hic gradus necessitatis oritur ex independentia: quoniam enim Deus à se ipso est, & nullius alterius entis arbitrio subjacet, quæcunque Deo tribuuntur, aliter ut sint fieri nequit.

Hic quæritur, an cum hac Dei necessitate possit stare vel libertas vel contingentia? Respondit Bonavent. in 1. sententiarum distinctione 6. quæst. 1. num. 5. quod ea necessitas, quæ est in Deo non repugnat libertati voluntatis, sed solum vertibilitatis, qualis non est in Deo. Ita Const. Sarnanu: in direct. theol. disputat è Scoto in 1. d. 10. quod quidem necessario producatur Spiritus sanctus, quia producitur, productione divina ad intra; & tamen producatur libere, non quidem libertate contingentiæ, quod Spiritus sanctus possit esse, & non esse, id enim falsum: sed libertate complacentiæ, ratione ejus amoris, secundum quem producitur, excluso omni modo coactionis.

Hæc etiam necessitas simul consistit cum libertate agendi ad extra; tametsi enim esse Dei sit esse necessarium, modus tamen operandi Dei ad extra est liberrimus, ita ut creaturas potuerit producere, & non producere, opus etiam creationis suspendere, quando & quousque ipsi placuerit creare. Et præterea in hoc universo regendo, administrando & gubernando liberrimus, ut omnia ad ipsius nutum & libitum fiant & regantur.

Et hinc eorum improbamus sententiam, qui exi-

existimarunt, Deum omnia agere ex necessitate naturæ; ideoque nullam inferioribus esse posse contingentiam; quam sententiam Arist. tribuit Scotus, ut videre est apud Perer, *Phys.* lib. 9. de fortuna & contingentia, cap. 1.

Secundus gradus necessitatis eorum est, quæ dicuntur necessaria necessitate definitionis & demonstrationis, ita ut si concipiatur ejus oppositum, fiat implicatio contradictionis.

Ac de definitione quidem res expedita est; quum enim definitionis ad definitum suum is sit ordo qui est inter ens & essentiam; ut essentia sublata, ens ipsum tolli necesse est, ita & definitione sublata fieri nequit, ut definitum maneat reliquum. Tolle animal rationale, & hominem ipsum è medio sustulisti.

Sub hoc vero gradu necessitatis non tantum integra definitio comprehenditur, sed & quæcunque definitionis pars: ut enim essentia ipsa abesse nequit, ita & quicunque essentialis conceptus si removeatur, esse ipsum removeri necesse est. Albedo dari non potest, si genus albedinis removeatur, color videlicet, & si esse rationale ab homine absit, non jam hominem dixeris, sed vel lapidem, vel arborem, vel rem quamcunque aliam ab homine diversam.

De necessitate demonstrationis dubitare quidam videntur: qui enim asserunt posse subjectum manere salvum, proprietatibus vel sublatis, vel etiam stantibus proprietatibus subjecti oppositis ii eâdem operâ negant demonstrativam necessitatem sine contradictione solvi posse. Nota est disputatio eorum, qui proprietates tolli posse putarunt subjecto salvo manente; qui vero dicunt, unum idemque corpus sine contradictione diversis in locis manere posse, annon corpori

corpori tribunt proprietatatem oppositam naturali corporis proprietati?

Illis oponamus clarissimam Averrois sententiam, 8. Meta. text. 5. Cum ignis aufertur per ablationem caloris, non aufertur primo neque per se, sed mediante ablatione formæ ignis. Sic quando aufertur risibilitas, aufertur homo non primo, sed mediante ablatione rationabilitatis. Quid hoc aliud, quàm dicere, remotâ proprietate à subjecto implicari contradictionem: qui enim negat proprium subjecti, consequenter negat formam subjecti, à quo proximè fluit hoc proprium: qui vero formam negaverit, essentiæ destructionem eâdem operâ inferat necesse est.

Posteriorum vero errori sese opponit. Scal. ex. 5, sect. 5. principio, inquit, proprio, primo, per se atque immediato prohibetur corpus esse in pluribus ubi. Est autem principium hoc continuitas est affectus consequens immediatè unitatem; contradictiones enim sunt; unum est duo. Continuum non est continuum, corporis igitur termini, si esset in duobus Ubi, non essent continui. Audis contradicere unum corpus esse potest in pluribus locis. Et ne Scoti subtilitas tibi quicquam imponat; ejus argumentum, quod proposuit in 4. sent. d. 10. quo in loco ex professo disputat, non contradicere unum corpus esse in pluribus locis, ponit & solvit. Possunt, inquit Scot. plures respectus fundari super uno; sic ut super una albedine plures similitudines. Nihil ergo repugnat, plura ubi od idem corpus referri. Comparationem negat legitimè procedere: esse enim aliud, multas similitudines agnoscere in eadem albedine; aliud unum corpus dare pluribus locis

cis. Idem corpus esse potest infra & supra: hunc ad modum eidem plura tribuuntur. Sin dicas, corpus & hic est, & ibi idem: non jam idem corpus manet, ipsum enim in diversa corpora distrahit, non vero plura loca ad ipsum unum contrahit. Secus ac si dicam relatione unius corporis ad plura loca, dicendo, hanc urbem ab hac vel illa distare 50. aut 100. miliaribus.

Sunt hujus farinæ & ii, qui propria communicabilia esse asserunt, rei quæ non est unius naturæ & essentiæ, cum eo quod propria communicare dicitur: secus enim non negabimus, genus proprietates suas communicare suis speciebus, cum quibus est idem. At vero propria communicare, ei quod est naturæ & essentiæ diversæ, id jam necessitatem demonstrationis violat. Est enim è lege demonstrationis proprium adæquatum suo subjecto, demonstrabile: alii igitur convenire nequit. Idem enim eidem & adæquatum esse, & alii simul inesse, dicit esse adæquatum & non adæquatum.

Tertius gradus eorum est, quæ sunt necessaria necessitate Physica: ea vero nihil est aliud, quam ordo is, secundum quem mediantibus causis secundis Deus hæc inferiora regit & gubernat. Hac necessitatis lege ignis calefacit, quod grave est descendit, naturaliter homo cibo & potu sustentatur. Sol movetur. Et secundum hunc ordinem in Physicis pronunciamus, iisdem causis positis, hoc vel illud eodem modo fieri. Verum hæc necessitas tanta non est, quin possit absoluta & extraordinaria Dei potentia immutari: quia enim creaturas condidit, iisque cursum suum dedit, ita con-

didit, ut ejus tamen arbitrio ſubeſſent. Hoc modo ignis fervorem Deus inhibuit in fornace Babylonica, quo minus tres viros combureret, Dan. 5. Ferrum natrat 4. Reg. 6. Elias per quadraginta dies & noctes ſuſtinet jejunium, 3. Reg. 19. Solis curſus inhibetur. Joſ. 10. Eaque de cauſa Stoicorum fatum excludimus, qui ordinem & ſeriem cauſarum ſecundarum tanta neceſſitate colligatam eſſe exiſtimabant, ut nulna vi ab hoc curſu dimoveri poſſe crederent, eademque ſerie hominum etiam voluntates cogi aſſererent: & hanc fatalem neceſſitatem ita cauſis ſecundis tribuebant ut à Deo dependere negarent. Indeque tantum definit Chryſippus apud Gel. lib. 6. cap. 2. quod ſit naturalis quidam ordo, ſeu coordinatio omnium rerum ab æterno aliis ad alias conſequentibus, & incommutabili manente hujuſmodi complicatione. Vide Zanch. de nat. Dei lib. 5. cap. 1. & Fran. Suarez z diſput. Metaph. 19. ſect. 11.

Cum hoc gradu neceſſitatis & ii pugnant, qui operationes naturales cum proprietatibus confundunt, tertium ſcilicet propriorum modum cum propriis quarti modi concludentes, deſcenſum à ferro, urere ab igni tolli poſſe: proprietates ergo tolli poſſe. Imperitè: proprietates n. ad ſecundum neceſsitatis gradum, operationes ad tertium gradum pertinent, quæ operationes inhiberi poſſunt.

Quartus gradus neceſsitatis eſt, neceſsitas conſequentiæ: in quo diſponuntur ea, quæ ſecundum ſuam naturam quidem ſunt mutabilia, ob certam tamen quandam conditionem & hypotheſin aliter eſſe, & habere ſeſe non poſſunt. Ad hunc gradum pertinent: 1. quæ ſunt neceſſaria ratione decreti divini; tametſi enim decretum

tum Dei sit liberum, ut Deus hoc vel illo modo decernere possit, tamen quæ Deus semel decrevit ea aliter fieri non possunt, ratione immutabilitatis divinæ voluntatis. In quem modum necessarium est mortuos resurgere, quia Deus ita decrevit. 2. Huc pertinent, quæ sunt necessaria ratione infallibilitatis divinæ providentiæ. In quem modum quæ contingenter fiunt ratione causarum secundarum proximarum, ea tamen secundum quid sunt necessaria, si divinam providentiam respiciamus. Inde rectè Zanchius de natura Dei lib. 5. c. 1. q. 4. p. 2. dixit: quanquam respectu causæ primæ, omnia certo prospicientis & immutabiliter ordinantis, omnia immutabili necessitate eveniunt: respectu tamen causarum secundarum non coactè, sed juxta suas naturas operantium, alia eveniunt necessario, alia vero contingenter. 4. Huc referuntur quæ sunt necessaria ratione existentiæ: ea enim tametsi sua natura sunt mutabilia, quando tamen vel sunt, vel facta sunt, aliter esse nequeunt. Nota enim est communis regula: omne quod est, eo ipso quo est, esse est necessarium. Ita è conditione terminorum contingens est: Æneam vincere Turnum, cum tamen quem vicit, non vicisse contradictionis sit.

Quintus gradus est necessitas coactionis, quando scilicet præter & contra naturam, intentionem & voluntatem aliquid ab extrinseco quodam movetur. Quomodo Aristoteles violentum illud esse definivit 3. *Eth*. cap. 1. cuius principium extrinsecùs est, nihilque confert ille, qui cogitur: quemadmodum si ventus aliquò, aut homines, qui potestatem habent, nos detruserint. Hunc modum violentæ necessitatis optime tradidit Fr. Suarez in indice ad Arist.

Meta. lib. 5. c. 5: dupliciter, inquit, poteſt eſſe aliquid neceſſarium ex cauſa efficiente: Uno modo ex ſola illa: alio modo non ex ſola illa, ſed ſimul ex parte paſſi ſeu recipientis. Quod hoc poſteriori modo eſt neceſſarium, non eſt violentum, ut ſi lapis ab agente moveatur deorſum. Priori vero modo, ſi paſſum non repugnet effectui ſeu motioni, nec ea neceſſitas propriè eſt violentia, ut patet in motu ignis in orbem: verum ea neceſſitas proprie eſt violentia, quæ fit paſſo repugnante, ut quũ lapis ſurſum projicitur.

Septimus gradus neceſſitatis eſt valde levis, ſecundum quem idem eſt, neceſſe eſſe, quod melius eſſe. Quem modum neceſsitatis docuit Averr. 9. Colliget c. 8. rem neceſſariam aliquam dici duobus modis: Vnus eſt, ut ſit eſſentia primæ neceſſaria eſſentiæ ultimæ, ſicut intentio eſſentiæ partium conſimilium eſt neceſſaria per intentionem eſſentiæ officialium. Alius eſt, ut non ſit ex neceſſitate, ſed quia meliora ſunt duo, quàm unum, & ſignificat nobilitatem in agente & patiente: ſicût oculus, qui non eſt inventus niſi propter neceſſitatem videndi, ſed natura ob melius dedit duos oculos. Secundum hunc modum diſputavit Anton. Scaynus in doctrina. de prædicabilibus, quod prædicabilia ſint neceſſaria ad perfectionem organi, non abſolute, ſed ob melius, hoc eſt, facilioris doctrinæ gratia.

Expoſuimus gradus Neceſſitatis: breviter & contingentiæ gradus attingamus. Dico autem contingere & contingens, quo non exiſtente neceſſario, poſito autem ineſſe, nihil erit propter hoc impoſſibile, ex Ariſt. 1. prior. cap. 13. ſecundum aliam edit: cap. 14.

Primus vero contingentiæ gradus eſt ratio-

ne

ne indeterminationis, quod est indifferens ad utrumque oppositorum: quando animal ambulare vel non ambulare, contingens esse, dicimus. Alter modus contingentiæ est eorum, quæ casu fiunt, ut hominem fodientem invenire thesaurum. Et hic posterior modus à priori differt in eo, quod ille ex electione vel arbitrio potius proficisci videtur: hic vero fortuitus magis est, præter hominis intentionem contingens. Utrique vero horum modorum commune est, non ingredi in scientiam: quoniam enim in scientiis requiritur certitudo, & perpetuitas veritatis: prioris quidem modi ratione determinationis & indifferentiæ certitudo esse nulla potest: Posterior vero modus in scientia non attenditur, quia raro contingit. Dicis: Raritatem effectus non excludere videri certitudinem scientiæ, quum & Eclipses raro contingant, quarum tamen scientia vel maximè est. Hic respondendum, quod eorum, quæ raro fiunt, sint duo genera: alia enim fiunt raro, quoad tempus solum, non quoad causam; alia vero ro fiunt raro, quoad causam. Prius genus in scientiis non excluditur, eo quod causam suam perpetuo consequitur, ita ut ea posita effectus de necessitate consequatur. Et sic in Eclipsi comparatum, tametsi enim non omni tempore fiant, quandocunque tamen fit diametralis oppositio Solis & Lunæ, ut terra sese mediam interponat, eclipsis illico generatur. Quæ vero raro fiunt quoad causam ita ut causa, quam aliquando sequuntur, posita, non sequuntur & ipsa eorum quia determinata veritas nulla est, in scientiam ingredi non possunt. Tertium genus contingentiæ est, quæ plerumque quidem fi-

unt, à necessario vero deficiunt, ut hominem canescere, augeri, minui. Hoc genus contingentiæ negat Aristot. 1. prior. cap. 13. à scientiis & disciplinis excludi: disciplina, inquit, & syllogismus demonstrativus ex infinitis quidem non est, eo quod inordinatum est medium: ex iis vero quæ nata sunt esse, penè orationes & considerationes fiunt de his contingentibus. Ita hominem generare hominem Physicus docet, & simile generare simile, ita enim fit ut plurimum: quandoque vero monstrum gignere contingit, quia naturalis causa vel deficit in agendo vel alio quadam ratione impeditur. Dicitur & alio modo contingens, sed impropriè ut non opponatur necessario & sic idem est, quod possibile: quod enim non est impossibile, sed possibile, id contingere dicimus.

De causa contingentiæ disputant, quænam sit? Distinguimus contingens: est enim aliud naturale, aliud voluntarium: quæ quomodo differant, vide Perer. lib. 9. Phys. de fortuna & contingentia, cap. 14. utrumque quidem indifferens est ad esse, si spectes causam remotam libertatem divinæ voluntatis, quæ ea non determinavit ad esse uno modo simplici. Sin proximas causas consideres, naturale quidem contingens esse videtur, vel ratione materiæ, quæ quia est in potentia ad plures dispositiones, pluresque formas non necessario esse uniusmodi in eam introducitur; vel ratione agentis deficientis in operando, ob impedimenta quædam, quæ ipsi in agendo accidunt. Sin contingens sit voluntarium accidit ratione libertatis arbitrii, secundum quam quia voluntas potest opposito modo agere, non est determinata

minata ad res eodem modo producendas, sed vel pro placiti, vel circumstantiarum conditione aliter atque aliter agit. Vide Fran. Suaretz. disput. Metaphys. 19. s. 10. & Perer. de fortuna & contingentia lib. 9. Phys. c. 15.

Et hæc de necessitate & contingentia breviter in præsenti dicere voluimus.

CAPUT. XIV.

De Infinito & Finito, item Illocali & locali.

I.

ENs est vel Infinitum vel Finitum.

2. *Infinitum illud dicimus, quod non habet limites & terminos, quibus circumscribatur.*

3. *Infinitum dicitur, vel secundum rationem formæ, vel secundum rationem materiæ, ut* docet Thom. 3. p. q. 10. ad 3. *Ferr.* 1. *Phys. quæst.* 6. *Lambert. de mon. Dom.* 1. *Phys. ad text.* 41.

4. *Infinitum secundum rationem formæ illud dicitur, quod est purum purissimum, infinitum simpliciter, absolutum ab omni potentia materiæ qua circumscribitur.*

5. *Alias dicitur infinitum negative : eo quod simpliciter nec habet, nec habere ullum finem potest, cujusmodi est Deus, ut docet Zanch. de nat. Dei lib. 2. cap. 6. quæst. 1. pag. 90, 91.*

6. *Hoc Scoto dicitur quod. 5. Infinitum in entitate in actu : & est ens, quod non potest ab aliquo in entitate excedi, & ipsum vere habet rationem Totius & perfecti. Vide ipsum accuratissime ea de re disserentem. Mentionem etiam hujus facit Aquarius ad Ferr. 1.*

Phyſ. quæſt. 6. in addit. Nos hoc dicemus infinitum actu.

7. *Infinitum ſecundum rationem materiæ (alii vocant infinitum privativè) eſt, quod natum eſt finiri & nondum habet finem. Seu: quod quidem finem non habet, ſed potuit tamen, aut etiamnum poteſt habere. Durand. in* 1. d. 43. q. 1. *ad* 1.

8. *Hoc dicitur vel Categorematice, ut loquuntur, vel Syncategorematice. Gabr. Biel. in* 2. d. 1. q. 3. & *Lambert.* 2. *Phyſ. t.* 50. *illud reſpondere videtuo infinito in quantitate (ſive extenſiva, ſive interinſiva) actu, hoc infinito in potentia apud Scotum quodl.* 5.

9. *Infinitum Categorematice, eſt infinitum ſecundum rationem in termini actu non circumſcriptum, ut quantitas extenſa ſine termino. In hunc modum* 3: *Phyſ. c.* 4. 5. & 6. *de infinito diſputat. Ariſtot. negans dari aliquod infinitum actu in rerum natura.*

10. *Infinitum Syncategorematicè eſt, quod non cognoſciiur per modum infiniti, ſed per modum ſucceſsionis, ablationis, vel additionis: & ita æquivalet huic orationi: in continuis non tantum, quin majus vel minus, in diſcretis, non tantum quin plus. Et in hunc modum diſput. Ariſt.* 3. *Phyſ. t. c.* 56, 57. & *ſeqq. infinitum aliquod Poſſe denotari, ſecundum appoſitionem & diviſionem. Vide pluribus de in finito Cajet. de ent. & eſſ. quæſt.* 12. *art.* 5. & *Piccolom. de com. effect. c.* 1.

11. *Conſequens infiniti & finiti eſt Illocale & locale.*

12. *Illocale dicimus Ens ſinè ordine ad ubi.*

13. *Illocale dicitur: vel ſimplicitur vel ſecundum quid.*

14. *Illo-*

14. *Illocale simpliciter illud dicimus, cui denegatur omnis locus, eò quòd ob infinitatem, repugnat ordinari ad ubi: cujusmodi est Deus, cujus esse repugnat esse in ubi, seu loco.* Impropriè tamen dicitur esse in loco *Repletivè: seu ut alii loquuntur, præsentialiter:* de quo dicit Mag. Sent. in 1. dis. 37. lit. N. *Spiritus increatus, qui Deus est, in loco quidem est, & in omni loco, sed omninò illocalis & incircumscriptibilis.*

15. *Illocale secundùm quid illud dicitur, quod loco non est circumscriptibile, eò quod in loco distantiam non facit: eo modo illocales dicimus Angelos. Hinc Angelum non dicimus esse in loco circumscriptive, vel definitive. Hinc dixit Lombard, l. citat. Spiritus creatus quodammodo est localis, & quodammodo non est localis. Localis dicitur, quod definitione loci terminatur, quoniam cum alicubi præsens sit totus, alibi non invenitur. Non autem ita localis est, ut dimensionem faciat.*

16. Greg. verò Magn. moral. lib. 2. cap. 3. quando dicit: *Angelorum spiritus esse loco circumscriptos, comparative loqui videtur, in comparatione scil. Dei, qui nullis sui terminis circumscribitur. Quemadmodum & paulò post comparative loquitur, quando dicit: Spiritus eos comparatione quidem corporum nostrorum esse spiritus: sed comparatione summi & incircumscripti spiritûs esse corpora. Et Damasc. lib 2. de Orthod. fide, quem citat etiam Vincentius spec. natu. lib. 5. cap. 80. circumscriptionis vocabulo late utitur, quando dicit, Angelos omnes esse circumscriptibiles. Vtitur enim circumscriptionis vocabulo, prout æquivalet huic: quum sunt in cœlo, non sunt in terra. Vnde paulò pòst subjicit: non circumterminari à parietibus, & januis, & claustris. Nos vero negando Angelos esse*

circumscriptivè in loco, intelligimus in loco eos non facere distantiam quandam partium.

17. *Locale illud dicimus, quod est cum ordine ad Vbi.*

18. *Locale esse accipitur, vel late, vel strictè.*

19. *Late accipiendo omne illud dicimus, quod est finitum. Quo sensu laudamus verba Scaligi ex 359. ſ. 5. Intelligentiæ, si sunt entia finita, ut sint in aliquo ubi necesse est: est enim Vbi circumstantia necessaria omnibus entibus præter Deum.*

20. *Locale strictè acceptum, est corpus ordinatum ad ubi, ita ut in loco faciat distantiam partium.*

21. *Locale denominatur, vel ratione potentiæ, vel ratione actûs. Hoc docuit Scotus quodlib 11. corporeitas, inquit, est ratio fundamentalis respectu hujus etiam, quod est esse locabile, & respectu hujus etiam, quod est locari.*

22. *Locale ratione potentiæ dicimus, quatenus esse locabile immediatè sequitur rationem corporeitatis, ut affectus proprius suum proprium et adæquatum subjectum, unde Scotus dicit, hanc corpus esse locabile, esse per se secundo modo.*

23. *Locale ratione actûs est comparatio corporis ad locum in quo actu est.*

24. *Esse vero in loco intelligitur, vel indeterminate, vel determinate, secundum Avicen. in sua suffic. tractat. de loco & Thom. opusc. 70. quod est super Boet. de Trin. q. 4. art. 3.*

25. *Indeterminate esse in loco, est comparatio corporis ad locum, quæ consequitur esse corporeitatis sine aliquo addito.*

26. *Determinate dicitur esse corpus in loco, quatenus ad hunc potiùs, quàm ad illum locum fertur ratione ejus inclinationis naturæ, secundùm quam hunc sibi potiùs, quàm illum consentaneum habet.*

habet. Ita Elementa pro ratione gravitatis vel levitatis superiorem vel inferiorem locum eligunt. Tantum de Infinito & Finito: & eorum affectionibus illocali & locali.

COMMENTARIUS.

OMne Ens aut esse Infinitum aut Finitum à ratione necessariæ & immediatæ disjunctionis est notissimum. Ac Finitum quidem illud dicimus, quod certis limitibus circumscribitur. Certos vero hos limites entis finiti metimur non è quantitate solâ, ut illud circumscribi dicamus tantùm, quod certas quasdam dimensiones habet, sed omne illud in genere, quod in eam perfectionem non assurgit, quia extra id ipsum semper aliquid accipi possit. Et hanc finitudinem in essentia quærimus primùm, pòst in essentiæ affectionibus: hoc est, ut omne quod est alio dependens, cùm habeat certam & determinatam entitatis suæ mensuram, cum quolibet aliorum entium in certa quadam proportione conveniat, eò quòd non exhaurit omnem entis perfectionem. Ita ergò finita ea omnia dicimus, quæ sunt ab alio, seu quæ sunt creata, aut ut clariùs dicam, omne Ens aliud à primo Ente, nimirum Deo, finitum est; infinitum unum tantùm, Deus sc. hic n. est extra finiri ab alio. Infinitum vero illud dicimus, quod in suo ambitu comprehendere non possimus, juxta Scal. exerc. 6. s. 2. Et si verò propriè, ut dictum, infinitum actu unum tantùm, solus Deùs: solent tamen admittere etiam Philosophi infinitum in potentia, quod vocant, cui semper potest fieri ablatio, vel divisio, ita ut si continuaretur talis divisio vel ablatio in infinitum, impossibile sit venire ad aliquam finem. Et hoc in-

infinitum in potentia multis modis dicunt: vel enim ſecundùm non entitatem, vel ſecundùm imperfectionem, vel ſecundùm durationem, vel reſpectu diſcretionis; vel reſpectu virtutis ſeu perfectionis & vigoris. Ac infinitum quidem ſecundùm non Entitatem, vocamus partem contradictionis infinitantem, hoc eſt, partem contradictionis negativam, quæ negat ubique, ut ſunt verba P. Rami: ea enim dicit infinitum omne aliud ſecundum indiſtinctum intellectum, præter hoc ens, quod infinitatur, hoc eſt, cui particula negativa additur. Quomodo non homo fertur ſupra omnem terminum, ſive poſitivum, ſive privativum, ſive fictum, ſive negativum, præter eum terminum, qui eſt homo. Infinitum ſecundum imperfectionem dicimus, quod eſt perfectibile ab infinitis terminis: quomodo appetitum materiæ reſpectu omnium formarum infinitum dicimus, quatenus materiæ univerſalis potentia non eſt determinata & coarctata ad certum & finitum formarum numerum, ſed capax eſt omnis actùs, qui ad eam perficiendam inducitur. Infinitum ſecundum durationem dicimus, cujus ſucceſſionis, ſeu prioris & poſterioris ratio ſub numerum venire non poteſt. Ac hoc quidem in tempore eſt, quatenus tempori non repugnat à parte poſt multiplicari in infinitum uſque: etſi enim quælibet pars temporis finita ſit, tamen temporis in univerſum accepti eſt quædam non repugnantia ſuccedere ſibi per infinita inſtantanea ad infinitam multiplicationem. De æternitate verò & ævo ita dicimus, quod illius quidem menſura ſecundum ſucceſſionum nulla ſit, excludit enim antè, & poſt, & ſucceſſionem omnem,

nem, quoad nos tamen æternitas non potest concipi, nisi secundùm coëxistentiam temporis, ut è tanto temporis tantum æternitatis fluxisse dicamus, & per præcisionem temporis, ab ante & post æternitatem sub conceptum revocemus; quod idem in ævo à nobis fit, nisi quod ævum tantùm faciamus infinitum à parte post non verò infinitum à parte ante, determinamus enim ævo terminos principii, & finis terminos excludimus. Infinitum secundum discretionem est, vel in continuo, vel in discreto: in continuo, quantenus continuum divisibile est in semper divisibilia secundum Aristot. 6. Phys. c. 1. In discreto verò, ut in numeris: nullus enim numerus tantus est, quin unitate augeri possit. Infinitum in virtute duplex est: vel simpliciter, vel secundum quid. Simpliciter, quod in se continet omnes gradùs, quomodo Deus virtute infinitus dicitur, quatenus nihil è possibilibus est, quod sub ejus virtutem non cadat. Et hæc infinitas virtutis divinæ differt aliquo modo ab infinito in actu, quatenus infinitum in actu propriè essentiam respicit, quæ actu in se tenet omnes perfectiones; infinitas verò virtutis, quatenus consideratur ea essentia non secundum momentum primum, sed secundum momentum secundum, hoc est, quatenus est relativa, respiciens omnia possibilia. Infinitas virtutis secundum quid est vigor ille, qui in iis, quæ magis & minùs habere possunt, in infinitum & augeri & intendi potest; quomodo vis caloris juxta Scal. in exer. 10. ex additione quarumcumque partium ignis in infinitum augeri posse videtur. Et tantum de Infinito & & Finito.

In-

Infinitum & Finitum ſequitur Illocale & Locale. Ut vero ſciamus quid Illocale & Locale Entis ſit, ſciendum primo juxta Bonavent. in 2. diſtin. 2. art. 2. quæſt. 1. quod locus habet triplicem comparationem ad locatum. Comparatur enim 1. in ratione continentis, 2. In ratione menſurantis. 3. In ratione conſervantis.

Ac ſecundùm triplicem hanc habitudinem ſunt in loco, ſubſtantiæ finitæ, corporales, & corruptibiles. Quia enim finitæ, ſunt in loco continentiæ, quia corporales in menſurante, quia corruptibiles in loco conſervante. Hinc jam intelligi poteſt, quid dicamus Illocale vel Locale. Locale enim omne illud dicimus, quod eſt aliud ab infinito: Quum enim ſit finitum, eſt hîc & ibi; quoniam corporale, eſt menſurabile; quoniam vero corruptibile, eſt conſervabile, quæ omnia ratione localitatis illi competunt. Quod vero excludit rationem continentis, menſurantis, & conſervantis, hoc illocale dicimus. Ita ſolus Deus illocalis eſt, cum enim habeat ſimplicitatem, contineri non poteſt, quia quod ſimplex eſt, penetrare poteſt omnia. Quia vero infinitus eſt, continet potius, quam continetur, infinitas enim continet omnia. Nam infinitum hoc ipſum eſſe dicimus, quod pro ratione menſuræ includit omnia: ac quoniam extra unum infinitum, finita omnia ſunt, extra omnia etiam Deus eſt: additum enim finitum finito, nunquam facit infinitum, ſunt autem finita omnia, excedit ergo finita hæc infinitum unum.

Hinc ſciendum ſecundo, ut eſt apud Magiſt. ſent. in 1. d. 37. quod duobus modis aliqua res dicatur eſſe localis; vel enim quia recipit dimen-

mensionem & facit distantiam; vel quia loci termino definitur. Ac prior ratio localitatis non potest cadere nisi in substantias corporeas: corporeum enim quod est, idem facit distantiam, ac ratione hujus distantiæ accidit locato mensura. Hoc itaque localitatis modo circumscribuntur Entia finita, corporea. Posterior vero modus etiam in substantias incorporeas cadit. Eæ enim etsi sunt sine distantia, determinatæ tamen sunt ad hîc & nunc. At hoc dicit idem Mag. Spiritus creatos esse in loco, & transire de loco ad locum, & quodammodo esse locales, ac circumscriptibiles, sed non omni eo modo, quo creaturæ corporeæ. Spiritum autem increatum, qui Deus est, in loco quidem esse, & in omni loco, sed omnino illocalem & incircumscriptibilem.

Sciendum tertio, quod ubi & locus sint unum secundum rem, ratione tantùm distinguantur. Ac hoc quidem duobus modis intelligi potest; vel enim ut strictè definiamus locum, quatenus apud Arist. definitur esse terminus coporis continentis immobilis primo: ita enim dicere possumus, quod sese habent in ratione latioris & angustioris: omnis enim locus est ubi, sed non omne ubi locus est. Corporea enim in loco sunt, & consequenter in ubi: verum non ea omnia quæ in ubi sunt, ea item sunt in loco. Spiritus enim finiti sunt in ubi, à nullo tamen termino corporis continentur. Vel etiam secundo loco potest intelligi, quomodo explicat hoc ipsum Socinas 5. Metaph. q. 40. quatenus locus ut locus nihil aliud dicit nisi superficiem ultimam corporis continentis: ubi autem requirit aliquid extrinsecum, & aliquem respectum, licet ipsum non significet in recto, sed in obli-

quo.

quo. Nam inter locatum & locum est relatio contenti & continentis, quâ præsuppositâ, tunc locus habet rationem ubi. Quâ de re pluribus in Physicis meis egi. Tantum etiam de illocali & locali.

CAPUT XV.

De Independenti & Dependenti.

I.

ENs est vel Independens, vel Dependens.

2. *Independens est, quod non eget priori ad suũ esse, ut colligitur è Scoto in lib. de 1. princ. c. 1.*

3. *Independens est vel absolute, vel secundum quid.*

4. *Independens absolute, quod in nullo genere ab alio habet dependentiam: cujusmodi est, quod est Independens à causa, cujusmodi solus Deus est.*

5. *Independens secundùm quid quod in certo genere ab alio non dependet, ut tametsi non sit absolutum à causa, tamen sit absolutum à subjecto & termino, Ita substantia non habent dependentiam nec à subjecto, nec à termino: accidentia absoluta sunt independentia à termino.*

6. *Dependens est ens, quod eget priori ad suum esse, quo essentialiter est posterius.*

7. *Dependens est, vel omnimodè dependens, vel in certo genere.*

8. *Omnimodè Dependens est, quod in nullo genere est absolutum: Cujusmodi sunt accidentia relativa, dependent enim à causa, à subjecto & à termino.*

9. *Dependens in certo genere, quod de dependentiâ et independentiâ simul participat. Ita substantiæ creatæ dependent à causa, non à subjecto, nec à termino. Accidentia absoluta à causa et subjecto dependent, à termino absolvuntur.*

COMMENTARIVS.

VNum esse independens, reliqua omnia dependere apud Scal. est exerc. 61. & 307, sect. 20. Quibus verbis nihil innuere voluit aliud, quam in divinis esse rationem absolutam ab omni dependentia, à divinis vero quæ sunt alia, eorum nihil esse, quod omnem dependentiam excludat. Oritur tamen hinc triplex dubium: Primo cum in personis divinis sit aliqua præexigentia, ut loquuntur, quatenus Filius est à Patre, & à Patre & Filio Spiritus sanctus procedit, an & hic dependentiæ ratio aliqua locum habere possit. Secundo, non videtur in inferioribus una esse dependentiæ ratio, magis enim dependere videntur accidentia relativa, quam absoluta, magis absoluta accidentia, quam substantiæ: quo enim quidque eget majori abstractione, eo etiam magis dependere videtur: at juxta subtiliss. Duns & Nicol. de Orbell. in 1. d. 5. q. 1. ¶. hæc quoniam ad realitatem, pluribus abstractionibus egent relativa, paucioribus accidentia absoluta, una contentæ videntur esse substantiæ. Tertio, videtur etiam oriri dubium circa rationem independentis & dependentis, anne nimirum independentia de se inferat perfectionem, dependentia imperfctionem.

Horum dubiorum ratio facile explicari potest, si sciamus quid sit independens & dependens, & quod non uno modo dicantur. Est vero dependentia respectus unius ad alterum, cum relatione, seu respectu ordinis posteriorum ad prius, seu ordo essentialis præsupponentis naturaliter ad suum præsuppositum, sine quo esse non potest, ut docet Scotus in libro

bro de primo princip. capite 1. & Constant. Sarnanus direct. Theolog. pag. 128. Itaque omnia ea dependere suo modo dicuntur, quæ ejusmodi aliquam præexigentiam habent, seu aliquam suppositionem prioris. Independens vero illud tantum dicetur, quodcunque non habet ordinem ad aliquid se prius. Hæc vero dependentia tribus modis consideratur, ut est apud Gerhardum de mont. dom. ad Thom. de Ente & essentia. Est enim dependentia alia effectiva, alia subjectiva, alia objectiva. Dependentia effectiva ea est, quæcunque requirit aliquod ante se agens, à quo sit vel fiat. Et eo modo dicuntur dependere omnia ea quæ sunt infra Deum: nihil enim horum est, quod excludat causam agentem à qua sit. Dependentiam vero subjectivam eam dicimus, qua est aliqua habitudo seu respectus accidentis ad suum subjectum. Objectivam vero eam dicimus, qua aliquid dependet ab aliquo, non tantum ratione agentis & materiæ, sed & terminate: quomodo accidentia relativa dependentiam objectivam habent. Ea enim non tantũ à substantia fiunt, & in substantia subjectantur, sed & habent dependentiam objectivam, quatenus ad terminum suum referuntur: quomodo verbi gratia filiatio terminatur ad paternitatem. Ac hæc quidem triplex dependentia ab aliquibus vocatur contracta, cui contradistinguunt aliam, quam vocant absolutam. Unde hoc modo sese habebit dependentia: Dependentia alia est absoluta, alia contracta. Contracta triplex, ut dictum, Effectiva, subjectiva, & objectiva. Et huic triplici dependentiæ, opponitur triplex independentia: ut scil. aliquid sit absolutum a fundamento, quod tamen non sit absolutum a subjecto; aliquod absolutum a subjecto, quod

non

non absolutum a causa: aliud absolutum a subjecto, ab objecto, & ab agente.

E dictis jam responderi potest ad triplex dubium. In divinis enim habemus duo: Essentiam, & personas. Essentia omni dubio remoto excludit depententiam tam absolutam, quam contractum; esse enim de se non exigit aliud, ergo nec de se requirit aliquod agens, multo minus vel subjectum, vel terminum: quod idem dicendum est de prima devinitatis persona. De secunda tamen & tertia dicunt, quod cum sit aliqua in iis præexigentia, etiam dependentia aliqua absoluta admitti possit: quod tamen nolumus latius accipi, quam eo sensu, quo communiter dicunt Theologi, Patrem esse principium, fontem & originem Trinitatis, & Filium esse genitum a Patre, & Spiritum sanctum procedere a Patre & Filio. Qui modus originis non spectat essentiam, sed personarum internam ab invicem emanationem. Qua de re erudite disputavit Zanch. de 3. Elohim. Lib. 5. cap. 7. & aliis in locis. Aliàs in creaturis ita sese habet, ut nulla sit absoluta etiam a dependentia contracta, substantiæ quidem quatenus habent agens a quo sunt, accidentia quatenus habent subjectum in quo sunt, relata quatenus habent objectum seu terminum ad quem sunt.

De secundo dicendum, quod major sit dependentia juxta majorem abstractionem: non quod abstractio sit causa dependentiæ, sed quod dependentia causa abstractionis. Ea itaque de causa in divinis abstractio non est proprie dicta, in iis enim simpliciter idem est abstractum & concretum: est enim purus actus. Nulla ergo potentia, nec ergo dependentia, a qua possit fieri abstractio. In substantiis vero est una abstractio,

naturæ

naturæ ſcilicet a proprio ſuppoſito: abſtractio enim omnis oritur ratione ejus potentialitatis, quæ in iis eſt, potentialitas vero à dependentia: in compoſitis vero quatenus aliud eſt eſſe, aliud exiſtere. Eſſe notatur per ſuppoſitum, natura vero eſt ſuppoſitaliter exiſtere, exiſtere a. à dependentia eſt. Accidentia vero abſoluta abſtrahunt dupliciter: ab alieno ſuppoſito, & à proprio individuo. Ab alieno ſuppoſito quidem ratione dependentiæ ſubjectivæ: à proprio vero individuo, quatenus aliud eſt quidditas accidentis, aliud eſſe accidentis. quando v. g. albedineitas dicit eſſentiam albedinis, quæ abſtrahitur ab hac albedine individualiter exiſtente. In relatis vero occurrit triplex abſtractio: ſecundum proprium individuum, ſecundum fundamentum, & ſecundum ſubjectum; quæ triplex abſtractio oritur ratione triplicis dependentiæ. Abſtractio enim à ſubjecto, eſt ſecundum dependentiam ſubjectivam. Abſtractio à fundamento, eſt pro dependentia objectiva. Abſtractio a proprio individuo eſt juxta eſſe, eſſe vero ab agente eſt. Inde ergo patet, quod major dependentia juxta majorem abſtractionem.

Ad tertium dicendum, quod abſoluta dependentia imperfectum nihil dicit, dicit enim præexigentiam, præexigentia vero de ſe non poteſt dicere imperfectionem: eſt enim præexigentia in divinis, in divinis vero imperfectio nulla eſt. De contracta vero dependentia ſubtiliſſ. Johan. Duns in quodl. q. 19. artic. 2. quod ea dependentia eſt, vel formaliter imperfectio, vel omnino habet neceſſario imperfectionem annexam. Ac tantum de independente & dependente. Ut vero hæc doctrina fiat clarior, ſubjungemus doctrinam de Abſoluto.

CA-

CAPUT XVI.

De Absoluto.

I.

Absolutum multis modis dicitur: 1. absolutum à subjecto, 2. à termino, 3. à causa, et 4. omnimode absolutum.

2. *Absolutum à causa dupliciter: simpliciter, et secundum quid.*

3. *Ordo absolutorum, pro diversitate rerum.*

4. *Usus distinctionis in quæstione de Incorruptibili et Corruptibili.*

5. *Alia quadam ratione Absolutum tribus modis dicitur: 1. positive, 2. privative; 3. negative.*

6. *Quando Ens dividitur in Absolutum et Respectivum, cui generi relationum opponatur absolutum, an transcendentali, an vero prædicamentali.*

7. *Quomodo Transcendentia abstrahant ab absoluto et respectivo.*



COMMENTARIUS.

Absolutum duobus modis dici annotavit Cajetanus de Ente & ess. quæst. 23. artic. 12. & de principio individuationis quæst. 2. notab. 2. absolutum à subjecto, & absolutum à termino.

Absolutum à subjecto illud est, quod non est in aliquo tanquam in subjecto. Esse vero in subjecto illud dicimus, quod inest in aliquo inseparabiliter, non tamen ut pars, docente Arist. in Categoriis. Hoc absoluti genus substantiis proprium est. Quæ enim prima substantia appellatur, ea nec in subjecto est, nec de subjecto dicitur.

dicitur. Secunda vero ſubſtantia, tametſi a prima ſeparata non ſit, non tamen ut in ſubjecto eſt, ſed ut quæ eſt de eſſentia individuæ ſubſtantiæ, per modum videlicet eum, quo genus eſt in ſpecie, qui diverſus ineſſendi modus ab aliis eſt. Et partes ſubſtantiarum non inſunt ſuis compoſitis, ut in ſubjectis, eſſe enim in ſubjecto excludit ineſſe per modum partis, ut ex Ariſtotele dicebamus.

Et hoc modo nullum eorum generum, quæ a ſubſtantia diſtinguuntur abſolutum eſſe poteſt. Vulgatum enim eſt, Accidentis eſſe, eſſe ineſſe, in ſubjecto ſcilicet. Hoc docuit Ariſtot. 1. Phyſ. text. 39. inſeparabiles eſſe ait, paſſiones, eoque impoſſibilia quærere intellectum, ſi vere velit ſegregare, quod fieri non poteſt. Clarius vero in 12. Metaph. cont. 3. accidentium nullum eſſe ſeparabile. Et Averroes in 7. Metaphyſ. text. 22. & 1. Phyſ. text. 14. impoſſibile eſſe ait, ut accidens, ſit ſine ſubjecto ſuo. Hoc alii dicunt Abſolutum ſubjective.

2. Abſolutum a termino illud dicimus, cujus ea habitudo non eſt, ut alio tanquam correlativo terminetur.

Ejus generis eſſe dicimus non ſubſtantias tantum, ſed & ea quæ in Quantitatis & Qualitatis prædicamentis collocantur. Hæc enim duo genera tametſi abſoluta non ſint a ſubjecto, ab alio tamen tanquam a termino dependent. Eſſen. albedinis non eſt eſſe ad aliud, tametſi ſit eſſe in alio: eſt enim albedo in pariete, ut in ſubjecto, non vero ut in relationis termino.

Hoc vero modo nihil eorum, quæ in ſeptem prædicamentis reliquis ponuntur, abſolutum a termino eſt. Relative enim ea omnia dicuntur, relatione quidem intrinſecus adveniente ea,

quæ

quæ ſunt in prædicamento, quod ad aliquid dicitur Ariſtoteli; relatione vero ſeu reſpectu extrinſecus adveniente ſex genera reliqua, ut docetur apud Scotum in quodlib. 11. artic. 4. Relativum vero omne ad terminum eſt: non enim niſi per terminum definiri poteſt, ut notavit Guilhelm. Occam, in d. 30. q. 5. Abſolvi ergo à termino non poterit. Hoc abſolutum à termino aliis dicitur Abſolutum objective.

3. Eſt & tertius quidam Abſoluti ſeu Independentiæ modus, apud Gerh. de mon. dom. ad Thom. de Ente & eſſ. in tractatu de eſſentiis materialium ſubſtantiarum, & eſt Abſolutum à cauſa. Hoc vero dicimus Ens quod non habet ordinem ad aliud, à quo fiat tanquam a cauſa: aliis dicitur Abſolutum effective. Eo modo abſolutum præter Deum nihil eſt. Hoc expreſſit Scal. ad Cardanum exerc. 307. ſ. 20. Omne quod eſt, inquit, aut eſt primum, aut a primo. Unum primum, alia dependent igitur. Tametſi enim ſunt entia abſoluta a ſubjecto, & a termino: tamen haud ſunt abſoluta a cauſa Ratio ponitur apud Scotum in lib. de prim prin. cap. 3. Neceſſitas eſſendi ex ſe, ſoli uni naturæ convenit. Ea vero natura eſſe non poteſt, niſi quæ excludit a ſe omnem cauſam aliam, tam intrinſecam, quam extrinſecam. Ea vero non niſi ſimpliciter primum effectivum. Ea non niſi Deus. Alia ratio ponitur apud eundem quodlib. qu 19. art. 2. cui formaliter repugnat omnis imperfectio, ei formaliter repugnat omnis dependentia: quia dependentia vel eſt formaliter imperfectio, vel omnino habet neceſſario imperfectionem annexam. At in Deum nulla cadit imperfectio. Nec ergo dependentia: aſt hoc abſolutum ſimpliciter dicimus. Quanquam hæc

ratio

ratio non tantum ponit modum absoluti a causa, sed & alios independentiæ modos. Nam Deus est quid Absolutum non tantum effective, ut loquuntur, sed & subjective, & objective: quia omni modo independens est.

Ac hic modus absoluti a causa soli Deo competere in genere dicitur, quoad omnes in universum causæ excluduntur ab eo, quod absolutum dicimus. In specie vero si ad diversa causarum genera descendamus, fieri omnino potest, ut in creaturis etiam quendam modum Independentiæ a causa notare possimus. Quum enim duo sint causarum genera: unum earum, quæ intrinsecæ dicuntur, aliud vero earum, quæ extrinsecæ. Nihil quidem eorum; quæ intrinsecas causas admittunt, ullo modo ab extrinsecis absolutum esse potest. Ratio ejus ponitur apud Scotum dicti lib. de prim. princ. cap. 2. concl. 8. nam causæ intrinsecæ ex necessitate habent imperfectionem annexam, ob quam non nisi ab extrinsecis causis ad actum causandi deduci possunt. Ac ita ad rei compositæ causalitatem necessario omnia quatuor causarum genera concurrunt. Adv. causalitates causarum extrinsecarum, quum dicant perfectionem, cui non necessario adjuncta est imperfectio: fieri omnino potest, ut quæ habent dependentiam a causis extrinsecis, ea ab intrinsecis absoluta dicantur. Et hic absoluti modus Intelligentiarum proprius est. Eæ enim tametsi ab omni causa simpliciter absolutæ dici nequeant; tamen quum excludant compositionem, ab iis causis quæ compositionem faciunt, cujusmodi sunt materia & forma, absolutæ quodammodo dici possunt.

At hoc modo Absolutum a causa dividimus, ut unum genus dicamus Absolutum a causa simpliciter,

plicitèr, quod ſolius Dei proprium eſt: aliud abſolutum à cauſa ſecundum quid, quod tametſi non omnia cauſarum genera excludat, ab internis tamen liberum & abſolutum eſſe animadvertitur.

4. Poteſt & quarta Abſoluti ſignificatio notari, cujus meminit Conſtantius Sarnanus direct. Theoleg. pag. 46, edit. Rom. qua Abſolutum eſſe dicatur, quod nullo modo identitatem habeat cum relatione, ſeu quod omni modo abſolutum dicatur. Hoc differentiæ gratia omnimode abſolutum appellemus. Hoc modo nihil omnino abſolutum eſſe videtur. Ut eo ſenſu recte dixerit Marſ. in Thæete: meminiſſe oportere, nil ſui natura abſolutè unum aliquid eſſe, ſed ad alterum, & alteri, & alterius eſſe, quicquid aliquid eſt. Quo dicendi modo ne Deus quidem Abſolutus erit: nam & in divinis perſonæ ſecundum relationes notionum dicuntur, de quibus plurimis egêre Scholaſtici, & videri de iis, quid ſint in primis poterit Scotus in quodl. 3.

5. Ordo ergo hic eſt: Abſolutum omnimodo nihil eſt. Unum abſolutum à cauſa ſimpliciter, Deus: hoc modo nil reliquorum abſolutum eſt à cauſa, nam & ſubſtantia, & accidentia reliqua dependenr omnia. Hinc abſolutum à cauſa ſecundum quid, abſolutum ſc. à cauſis intrinſecis, ut Intelligentiæ. Abſoluta à ſubjecto, & à termino ſubſtantia, quâ talis omnis eſt. Accidentia abſoluta, ut Quantitas & Qualitas, abſoluta ſunt à termino: ſed dependent à ſubjecto & cauſa. Accidentia relativa omne dependentiæ genus habent. Dependent enim à cauſa, quia non ſunt à ſe. Dependent à ſubjecto; ſunt enim accidentia. Et

dependent a termino, quæ ſunt accidentia relativa.

6. Uſus hujus doctrinæ primarius eſt in doctrina de Incorruptibili & corruptibili. Quæritur ratio, ſecundum quam quidque incorruptibile dicamus? Reſpondeo: Incorruptibile quidque eſt, ſecundum quam Abſoluti modos participat: corruptibile vero quoad dependet.

Incorruptibilis ergo ſimpliciter Deus: quia omnes dependentiæ modos excludit. Incorruptibiles Angeli & Intelligentiæ, ſed non omni modo incorruptibiles: tametſi enim ſunt abſoluti a ſubjecto & termino, haud tamen abſoluti ſunt a cauſa. Incorruptibiles ergo corruptione quæ ſecundum ſubjectum eſt: ſimplices. n. eſſentia: corruptibiles, quia non a ſeipſis. Corruptibiles ratione cauſæ ſecundum propriam rationem naturæ: incorruptibiles tamen a cauſa ratione gratiæ. Quod eleganter expreſſit Plato in Timæo: Quæ a me facta ſunt, inquit Deus, me ita volente, indiſſolubilia ſunt. Omne ſiquidem quod vinctum eſt, ſolvi poteſt. Quapropter quia generati eſtis, immortales quidem & indiſſolubiles omnino non eſtis. Nec tamen unquam diſſolvemini, nec mortis fatum ſubibitis. Nam voluntas mea majus vobis eſt vinculum ad vitæ cuſtodiam, quam nexus illi, quibus eſtis tunc, quum gignebamini colligati.

Corruptibilia corpora, nam & ab externa & ab interna cauſa dependent: non tamen ceſſant ad deſitionem ſui vel accidentis, vel relati. Quo ſenſu intelligendus eſt Porphyrius: definiendo Accidens eſſe quod adeſſe vel abeſſe poteſt ſine ſubjecti corruptione. Non enim homo minus erit homo quoad eſſentiam, ſi

Philo-

philosophus non erit, vel si divitiæ ab eo auferantur.

Accidentia esse desinunt per desitionem subjecti & causæ: non per desitionem termini, si absoluta fuerint, ab hoc enim non dependent. Quæ vero sunt relativa accidentia, eæ ut omnibus modis dependent, ita corrumpuntur destructione objecti seu termini, subjecti, & causæ. Hæc doctrina facilius elucescet è variis modis Incorruptibilis, & Corruptibilis, quos sequenti capite proponemus.

7. Solet & alio modo distingui Absolutum. Dicitur enim Absolutum, vel Positive, vel Privative, vel Negative, ut è Joh. Altenstaig. in vocabulario docuit, Constan. Sarnanus in directorio pag. 45.

8. Absolutum Positive illud dicimus, quod vel est absolutum Categoriæ genus, vel sub uno absolutorum prædicamentorum genere ponitur. Hoc sensu Ens dispescimus in Absolutum, & Relativum. Absoluto vero tria suprema genera Substantiam, Quantitatem, Qualitatem, & quæ sub his tribus generibus res continentur, adscribimus. Relativo vero quæ ad aliud, seu cum respectu dicuntur. Ita Leo, arbor, lapis absolute dicuntur: pater vero, servus, limes, relative.

9. Absolutum privative illud est, quod abstrahit ab absoluto & relativo, eo quia hac divisione superius est, & ad utrumque ejus membrum indifferens. Nam quod est superius, non est de se unum ex inferioribus sibi subjectis generibus: quia ad ea est indifferens, ut animal de se nec est homo, nec bestia, sed vel est homo, vel bestia. Et ita Ens in universali de se nec est absolutum, nec respectivum: quod si

enim esset determinatè unum horum, non posse in absolutum & respectivum distingui. Quemadmodum hominem falso dividerem in hominem, & bestiam: nam homo nullo modo dividi potest in bestiam. Quia nulla species est in potentia ad suam contrariam speciem, at vero id, quod dividitur, est in potentia, ad ea, in quæ dividitur. At verò in specie, hoc vel illud Ens est vel Absolutum, vel Relativum, quia ad certam speciem jam est contractum. Dices: At Ens absolutum dicitur, quia privativè absolutum. Hic dicendum: Diversam esse rationem univocorum & Analogorum. In univocis perfectè regula hæc obtinet: Superius, actu non potest participare rationem sui inferioris. At vero in iis quæ dicuntur ad unum unamque quandam naturam, quia analogum secundum prius & posterius in suis inferioribus est, communiter desumit denominationem prioris seu principalioris analogati. Quomodo Arist. in 1. post. con. 9. demonstrationem definit non eam, quæ in communi, sed eam quæ potior est, demonstrationem propter quid. Et hoc sensu, quia omne absolutum respectivo prius est, ut à quo hoc dependet: Ens quod de se in communi ad utrumque sese habet, sed tamen secundum prius & posterius, denominatur Absolutum, denominatione à principaliori divisionis parte desumpta. Et hoc est, dici quid Absolutum privativè.

10. Absolutum negativè illud, quod in esse suo præciso est à se, & non ad aliud. Hoc modo absoluta sunt, quæ dicuntur per se præcise & solitarie, i. e. remoto ab eo omni alio. Eo modo absolutæ dicuntur differentiæ, consideratæ in ultima abstractione, quia ita sunt præcisæ

cisæ & separatæ ab omni alio, ut sint tantum hoc, & non aliud, seu, ut sunt verba subtiliss. Duns in 1. d. 5. q. 1. sect. hæc quantum ad realitatem, sunt absolutissimæ quidditates, sumptæ ab omni eo, quod est quoquo modo extra rationem quidditatis. Eo sensu, quo Avic. in 5. Metaph. dixit: Equinitas est tantum Equinitas. Et hic Absoluti dicendi modus, adeo nihil extrinsecum includit, ut hæ differentiæ se totis objective ab aliis rebus distingui dicantur, ut in doctrina de distinctione monebimus: quod ita absolute & præcise considerentur, ut in earum objectivo conceptu nihil extraneum includatur.

11. Hîc quærimus: Quando Ens dividitur in absolutum & respectivum, cui generi relationum opponatur Absolutum, an in universum Transcendentali, an vero in specie prædicamentali? Dicendum, quod divisio hæc intelligenda sit secundm rationem prædicamenti. Nam quum Transcendentalis ea, quam vocant, relatio, tantæ sit latitudinis, ut ejus ambitum nihil effugiat: nec enim essentia ulla est, quæ hoc relationis genere non sit affecta, adeò ut & ipsum Ens in universum sumptum ab hoc respectûs genere liberum non sit, quum ordinem habeat ad suas passiones in sua inferiora: 1. absolutum non re, sed relatione sola à respectivo distinguimus: fertur enim transcendentalis respectus super inferiora, quæ absoluta dicuntur omnia, quibus quum sit superior, adeo intrinsecè in iis includi dicetur: si entis prima quædam species est, ut non nisi ratione à quocunque absoluto distingui possit. 2. Et divisio in absolutum & respectivum, ita feretur supra rem dividentem Ens nimirum, ut inferi-

 ores

ores divisionis partes de superiori diviso prædicentur. Nam Ens respectivum est respectu Transcendentali, ut diximus, quia is respectus omnem Entis universitatem ambit: & ratio absoluti, ut quæ principalis analogati rationem obtinet, ab analogo genere secludi non potest; quum analogum prioris analogati naturam actu includere semper videatur. Erit ergo Ens actu & absolutum & respectivum. Erit superius actu sua inferiora. Inferiora de suo superiori prædicabuntur. Et hoc exemplo non adeo falsa erit prædicatio hæc: animal est homo, bestia est Leo. Ut jam novam Logicam condere opus sit. Absurda hæc. Quid ergo? Dicemus divisio Entis in absolutum & respectivum non est secundum respectum transcendentalem, sed secundum respectum prædicamenti sejuncta, & instituta.

12. Hinc jam secundo loco decidi potest quæstio, quomodo Transcendentiæ abstrahant ab absoluto & respectivo? Quum enim omnem omnino respectum excludere non possint, nihil enim omni ex parte absolutum est: & ordinem habeant prioris & posterioris tum inter se, num & verum bono prius est, & simplices Entis affectiones disjunctis priores censentur: tum ad particularia, quorum respectu Transcendentia dicuntur, eo quod ad nullum horum generum limitari possint. Ordo vero omnis respectum inferat. Non ergo ab omni respectu abstrahere possunt. Hic dicendum: Transcendentia non abstrahere à quocunque respectu, non enim à Transcendentali: sed ab eo qui est juxta divisionem Entis. Is vero prædicamentalis respectus est: nam ab eo abstrahere dicuntur, eo enim Transcendentia priora

ſunt, quia ad nullum genus prædicamenti coarctantur. Infert ergo ordo prioris & poſterioris, ordo ſuperioris & inferioris reſpectum; ſed non eum qui prædicamenti eſt, verum Tranſcendentalem. Quid vero ſit relatio Tranſcendentalis & prædicamentalis, in doctrina de relatione dicetur.

Caput XVII.

De Incorruptibili & Corruptibili.

I.

Rationem Independentiæ, & Dependentiæ, ſequitur Incorruptibile, & Corruptibile.

2. *Incorruptibile eſt Ens, quod de eſſe ad non eſſe tranſire non poteſt: ſeu, quod eſſe non poteſt mutare cum non eſſe.*

3. *Eſtque vel ſimpliciter, vel ſecundum quid.*

4. *Incorruptibile ſimpliciter illud dicimus, quod à nulla potentia traduci poteſt ad non eſſe, eo quod à nullo dependet, à quo immutari poſſit. De hoc genere loquitur Averr. 1. de cœlo comm. 114. quando dicit: incorruptibile eſſe illud, quod eſt Ens actu, & non habet potentiam ad corruptionem, neque eſt poſſibile, ut in aliqua hora ſit corruptum. Ita ſolus Deus eſt incorruptibilis.*

5. *Incorruptibile ſecundum quid illud dicimus, quod è pluribus non conſtat, in quæ reſolvi poſſit. Ita ſimplex omne Incorruptibile dicimus.*

6. *Coruptibile eſt Ens, cui non repugnat mutari quoad ſuum eſſe.*

7. *Corruptibile, vel dicitur ratione cauſæ, vel dicitur ratione ſubjecti.*

8. *Corruptibile ratione causæ illud dicimus, quod mutari potest ab agente voluntario, à quo dependet. Ita Angelos etiam corruptibiles dicimus.*

9. *Hunc modum elegantur declaravit Plato in Timæo, quando introducit patrem rerum omnium ita loquentem: Dii orti ex diis, quorum opifex ego, & pater sum, hac attendite. Quæ a me facta sunt, me ita volente indissolubilia sunt. Omne siquidem, quod vinctum est, solvi potest. Quapropter quia generati estis, immortales quidem & indissolubiles omnino non estis. Non tamen unquam dissolvemini, nec mortis fatum subibitis. Nam voluntas mea majus præstantiusque vobis est vinculum ad vitæ custodiam, quam nexus illi, quibus estis tunc quum gignebamini colligati.*

10. *Corruptibile ratione subjecti, quod constans subjecto, plura simul includit, è quibus est compositum, in quæ resolvi potest. Eo modo compositum omne est corruptibile.*

11. *Corruptibile ratione subjecti habet potentiam ad corruptionem vel remotam vel propinquam.*

12. *Corruptibile potentia remota illud dicimus, quod habet in se principium corruptionis, ad quam tamen actu exire nequit, nisi prius ad potentiam propinquam reducatur. Ita omnia quæ constant materia habent in se principium corruptionis, actu tamen non corrumpuntur, nisi sit agens contrarium à quo corrumpantur.*

13 *Corruptibile potentia proxima est, quod proximè ad corruptionem deduci potest, ut quod constat qualitatibus contrariis. Vide Scot. 3 Sent. d.22. unic. sect. ad primum argumentum.*

COM-

COMMENTARIVS.

ESse aliquid incorruptibile & corruptibile ex eo proprie est, quod est Ens à se vel ab alio, seu vel est Independens vel Dependens. Dicitur vero corruptibile duobus modis: uno modo secundum potentiam, alio secundum actum. Corruptibile secundum potentiam illud dicimus, cui non repugnat non esse. Corruptibile vero secundum actum hoc, quod in actuali ratione corruptionis est. Et oritur corruptibilitas, vel ratione principii externi, vel ratione principii interni: unde aliud intrinsecè corruptibile, aliud extrinsecè corruptibile dicimus. Intrinsece corruptibile hoc est, quod plura in se includit, in quæ resolvi potest. Extrinsece vero, quod etsi sit absolutum à subjecto, tamen non est absolutum à causa. Ut n. est apud Scal. exer. 703. s. 29. Omne dependens corruptibile est, si vel maxime nullam habet materiam. Corruptionis vero actualis, modus quadruplex est: Primus modus est juxta periodum, quatenus nihil omnino est, quod finitum est, quod certa periodo non definiatur. Alter modus, ratione contrarii, qui in mixtis potissimum obtinet, ratione contrariarum qualitatum rarum, quæ in ipsis sunt. Tertius modus in viventibus est, ratione absumptionis caloris & humidi radicalis. Quartus modus violenitæ est, qualis est is, qui ferro vel laqueo fit.

Incorruptibile triplici modo dicimus: vel enim hoc, quod omni ex parte, tam à causa, quàm à subjecto est absolutum; & est unus Deus. Vel illud, quod etsi non sit à causa absolutum, à qua dependeat, tamen gratia primæ

causæ hoc habet: ut intelligentiæ nutu sunt creatæ, natu dissolvuntur; ita tamen creatæ, ut placeat primæ causæ eas nunquam futuras dissolutas. Tertius modus incorruptibilis est, quod etsi nec à subjecto nec à causa sit absolutum, contrarium tamen non habet à quo sub mutationem veniat: quomodo cœlum incorruptibile dicimus ratione sempiternæ connexionis formæ ejus cum materia, quatenus non habet aliquod contrarium, à quo hæc connexio dissolvatur.

CAPUT. XVIII.

De Principio & Principato.

I.

ENs est vel principium, vel Principiatum.

2. *Principium illud dicimus unde quidq; aut est, aut fit, aut cognoscitur.*

3. *Principium dicitur vel proprie, vel secundum quandam similitudinem.*

4. *Principium proprie dictum est, primum in quoquo, unde aliud dependet, vel in esse vel in cognosci.*

5. *Hinc principia alia dicuntur Essendi, alia cognoscendi principia: Illa aliàs Incomplexa, hæc Complexa dicuntur.*

6. *Essendi principia ea dicuntur, à quibus quidque habet ut sit.*

7. *Ea sunt vel Physica, vel Metaphysica.*

8. *Principia Physica dicimus principia quæ naturali rerum constitutioni inserviunt, cujusmodi principia sunt causæ.*

9. *Metaphysica principia dicimus conceptus rerum, qui constitutioni rationis inserviunt, ut sunt genera & differentiæ.*

10. *Princi-*

10. *Principia cognoſcendi ſunt principia complexa; ex quibus per ſe notis innoteſcunt alia, ejuſmodi eſt: totum eſt majus ſua parte.*

11. *Ea dicuntur principia cognoſcendi, modo præciſionis loquendo: nam in eo differunt Eſſendi & Cognoſcendi principia, quod illa conferunt & eſſe & cognitionem, juxta illud: ut ſe res habet in eſſendo, ita & in cognoſcendo. Verum cognoſcendi principia tantum largiuntur cognitionem & non eſſe.*

12. *Horum principiorum alia ſunt ſimpliciter prima, alia prima in ſuo genere.*

13. *Prima ſimpliciter ea dicuntur, quæ in nullo genere prius habent à quo dependeant: ejuſmodi primum in genere incomplexorum eſt Deus tantum. In genere vero complexorum primum: Impoſſibile eſt idem eſſe, & non eſſe. ut ſuperius è 4. Metaph. Ariſt. diſſeruimus.*

14. *Prima in ſuo genere dicuntur principia, quæ ut nota in certa quadam diſciplinâ ponuntur, ut in Phyſicis eſt principium, quod Natura ſit principium motus & quietis ejus, in quo ineſt primo & per ſe, & non ſecundum accidens.*

15. *Principium ſimilitudinis dicitur principium poſitum in ordine ſine propria ratione dependentiæ.*

16. *Eſtque vel originis, vel dignitatis.*

17. *Principium ratione originis vel ordo præſupponentis & præſuppoſiti, ut fundamentum domus vel temporis, vel ſitus, vel motus & alia hujuſmodi, ut docetur 5. Metaph. t. cap. 1. & apud Averr. Epit. Met. tr. 1. ſect. principium dicitur.*

18. *Ratione dignitatis, quod in quoquo genere eſt dignius, ut Conſul eſt principium Senatus.*

19. *Prin-*

19. *Principatum est Ens cum ordine ad principium. Hoc tot modis dici potest, quot principium ipsum. Relatorum enim una est notitia.*

COMMENTARIVS.

De principio dicendo, consideramus principium tripliciter: 1. quomodo sese habeat ad causam & effectum. 2. Quid principium de se in genere sit. 3. Quot modis principium dicamus.

Primum ex eo dubium est, quod Aristot. dicit, Causam toties dici, quoties principium: & paulo post subjungit, Elementum quoque principium esse, 5. *Metaph.* tex. 1. Dicendum vero, quod ita sese habeant, ut omnem causam dicamus principium, non omne principium causam, & omne elementum causam esse, non omnem causam elementum. Verum ad rationem principii sufficit respectus anteriorum cum ordine quodam ad posterius. Sed causa superaddit quendam influxum ad esse causati. Elementum vero dicimus, ex quo componitur aliquid primo inexistente, indivisibile specie in aliam speciem. Itaque ad rationem principii sufficit, ut aliquid sit prius cum ordine ad posterius: ad causam, ut influxum præbeat, sive ea ipsa causa externa sit, sive interna. Ad elementi vero rationem quatuor requiruntur: 1. ut ex eo aliquid fit. 2. ut in constitutionem veniat. 3. ut sit intrinsecum. 4. ut sit indivisibile. Quod vero Aristoteles dicit toties dici causam, intelligendum est exclusive, non inclusive, hoc ipsum explicat Fonseca 5. Metaph. c. 1. q. 7. s. 2.

De secundo dicendum, quod est apud Arist. quod omnibus principiis sit commune esse primum, unde aut est, aut fit, aut cognoscitur. In

qua quidem principiorum ratione duo notanda veniunt: 1. Quomodo commune sit omnibus principiis esse primum. 2. Quare potius secundum copulam definire voluerit Arist. principiorum rationem.

Ac ad prius quantum attinet, dicendum: Primum dupliciter dici, vel simpliciter, vel in suo genere. Simpliciter primum unum tantum est, Deus nimirum. Prima vero in suo genere ea dicimus, quibus secundum hanc determinationem prius nihil est. Aristoteles intelligendus est, non priori modo, sed posteriori.

De secundo dicendum, quod res quæ sub definitionem veniunt, non sunt unius generis: quædam enim sunt per se unum, & ea ipsa sine copula definiri bene possunt: quædam vero sunt definitiones non secundum quid rei, sed secundum quid nominis, quæ iis rebus tribuuntur, quæ non habet unam quandam essentiam. Ita ergo principium definitur distributivè, ut simul in generali principiorum ratione notum ac manifestũ fiat principium non uno modo dici, nec secundum essentiam unam, sed variis modis.

Circa tertium itaque dicendum, quod verbum principii multis modis dicitur apud Aristo. 1. Enim dicitur illud rei, à quo quid primo movetur: ita est principium in magnitudine, motu & tempore. 2. Unde facilius est: quomodo principium doctrinæ in specie sumimus, non à principio rei, sed unde quisque facilime discit. 3. Vnde res progenerantur. 4. Unde incipit generatio ipso non existente: idque in naturalibus, civilibus & artificialibus. 5. In disciplinis, unde res primum cognoscitur. Hos quinque modos Johann. Versoris in 5. Metaph. ita comprehendit; esse principium est vel intra, vel extra.

Intra

Intra principium, unde res vel ſecundum ſitum (id eſt magnitudinem) & eſt primus modus, vel ſecundum tempus, idque vel ad bene eſſe ut in ſecundo modo, vel ad eſſe ſimpliciter, ut in tertio. Vel principium eſt extra, idque vel ſecundum eſſe rei, ut efficiens & finis, vel cognitionis, ut in diſciplinis.

Pricipiatum vero in genere dicimus omne illud, quod reſpectum ſeu relationem ad principium habet: habent enim ſe principium & principiatum relative, ut quot modis alterum eorum dicitur, tot etiam dicatur alterum. In ſpecie vero principio ſecundum magnitudinem, motum & tempus, opponitur ultimum magnitudinis, in quo eſt finis motus, ſeu terminus. Et communiter principiatum ſolemus ſpecialiter accipere pro eo, quod ex principiis intrinſecis eſt, quomodo apud Scalig. exerc. 307. ſect. 20. Principia dicuntur actus ſuorum principiatorum. Reliqua ex relatione principiati ad principium cognoſci poſſunt.

Quia vero doctrina de experientia multum facit ad notitiam principiorum, volui hæc opponere facilitatis gratia, quæ in libro meo de Philoſophia, de experientia & principiis latius aliquando diſſerui in hunc modum.

*P*hiloſophia conſtat experientiâ & ratione, *E*xperientia eſt cognitio è multarum memoriarum de eadem re collatione orta. Ratio eſt rei per principia cognitio.

Philoſophicum non eſſe, ad quod exiſtimandum neque experientia, neque ratio nos ducit, eleganter diſſerit Fr. *S*uarez. diſp. *M*et. 13. ſ. 2. num. 5. In ſpecie vero de *E*xperientia Ariſt. 1. Meta. t. c. 5. Per experientiam, inquit, ars & ſcientia hominibus efficitur. Experientia enim, uti

recte

recte ait Polus, artem effecit, inexperientia vero fortunam. Experientia vero duobus modis sumitur: uno modo late, pro quacunque perceptione unius singularis. Quo sensu apud Cic. in orat. pro Cœl. scriptum legimus. Vim veneni aiunt, Cœlium esse expertum, in servo quodam ad rem ipsam parato, cujus perceleri interitu esset ad hoc comprobatum venenum.

Alio modo accipitur propriè: hoc modo duo ad perfectam experientiam requiruntur: unum est quasi materiale, cognitio scilicet plurium singularium, è multiplici memoria genita. Secundum quasi formale, collatio scilicet eorundem singularium inter se, ut è sufficienti eorum similitudine, eventorum similitudo habeatur: ut videri potest apud Fons. 1. met. in com. ad c. 1. & hæc experientia partim sensu constat, partim intellectu. A sensu origo est experientiæ: ab intellectu vero perfectio. Nam à sensu singularium cognitio, eorundemque memoria est: ab intellectu vero judicium similitudinis è singularium inter se collatione proficiscitur.

Duobus vero modis intelligi potest, Experientiam artem & scientiam efficere: uno modo scientiam confusam, quæ à posteriori est, seu ab effectis dependet. Et hoc modo per experientiam, & similitudinem effectorum deducimur ad similitudinem causarum. Hunc modum docuit Arist. 1. Metaph. t. c. 5. Fit ars, inquit, cum ex multis experimentalibus conceptibus, una de similibus universalis opinio fiat: Opinari etenim, quod Calliæ hoc morbo laboranti hoc conduxit, similiter & Socrati, & ita multis aliis singularium, experimenti est. Quod autem omnibus hujusmodi secundum unam speciem determinatis hac ægritudine laborantibus contulit,

tulit, utpote Phlegmaticis, aut cholericis, aut æstu febricitantibus, artis est proprium. Alio modo vero intelligi potest, experientiam artem efficere & scientiam distinctam, eam quæ à priori est, & per causas & per principia propria habetur, & dicitur scientia propter quid. In ea cum duo sint: Conclusio, & principia, è quibus conclusio educitur: ad conclusionem per se & immediate nihil videtur conferre experientia, cum illa vi principiorum gignatur. Nam cum sit scientia à priori, medium ex quo conclusio deducitur non est experientia; sed causa ipsius effectus, vel affectionis, quam demonstramus de subjecto. Nisi forte per accidens, quatenus facilius assentitur intellectus conclusioni, si eam particularibus exemplis viderit comprobatam. Quo modo facilius assentietur demonstationi Eclipsis Lunaris, quã si eam è principiis habuerit cognitam, etiam per experientiam noverit, hanc & illam Eclipsin tempore oppositionis luminarium esse factam.

De principiis alia videtur esse ratio. Ea enim cum non sint unius generis: Sed 1. Alia prima & communissima, ita omnibus nota, ut in controversiam vocari non possunt: 2. Alia omnibus quidem scientiis communia, quorum tamen veritas non sit æque nota & aperta, atque primorum illorum: Et denique 3. Principia particularia, singularum scientiarum propria: omnibus quidem his principiis, experientia quædam videtur esse necessaria, ut à sensitiva experientia adjutus intellectus, iis principiis facilius assentiri possit. Nam universali huic principio: impossible est idem esse & non esse: facilis assentietur, qui expertus fuerit, eundem ignem non posse simul urere & non urere.

Sin

Sin de perfecta experientia loquamur, jam pro diversitate principiorum diversum est judicium. Nam cùm duo sint in principiis: termini, è quibus constant principia, & eorundem terminorum connexio: Si de primo principiorum genere loquamur, eorum certitudo & evidentia tanta est, ut cognitis illis terminis, intellectus non possit eorum terminorum connexioni non assentiri. Vera enim esse cognoscitur naturali lumine intellectûs, ut docuit Scot. 1. Metaph. quæst. 4. & in 1. senten. d. 3. Qui enim noverit quid sit Ens, & quid sit Non Ens, non potest non assentiri huic principio: Ens non potest esse Non Ens. Ad secundum vero genus principiorum magis aliquanto necessaria esse videtur experientia, nisi doctrina & disciplina prius addiscantur. Nam tametsi hoc principium: Totum est majus sua parte, cuivis notum esse possit, dummodo terminorum notitia accuratè explicetur: ob intellectûs tamen imbecillitatem fit, ut qui hujus principii universitatem per inventionem acquirit, è multorum singularium inductione terminorum rationes necessariò prius cognoscat.

Principia verò singulis scientiis propria, cùm non sint ita evidentia, ut assensum statim illis præbere possimus: Experientia opus habent, qua illorum veritas certior reddatur. Ita Naturam esse principium motûs & quietis, Physicæ doctrinæ est principium, quod tùm demum verum esse patebit, si exemplorum multitudine ejus experientia comparetur, ut quod hujus & illius generationis, hujus & illius alterationis, aliorumque motuum ratio à natura pendeat. Et de hoc principiorum genere intelligimus Arist. in 2. Post. cap. ult. quando cognitionem principiorum

piorum reducit ad experientiam. E dictis jam manifestum est, quid experientia ad scientiam & principia conferat. Nam scientiam confusam gignit: ad scientiam vero distinctam concurrit mediatè, quatenus est ratio & occasio terminorum & primorum principiorum cognoscendorum. Ratio vero scientiam parit è principiis, è necessario antecedente deducens necessarium consequens. Ratio vero duplex est: Inductio & Syllogismus. Nam probatio per rationem ex his duobus est. Hoc docuit Arist. 1. Post. cap. 1. Omnis doctrina, inquit, & omnis disciplina intellectiva, fit ex cognitione præcedente. Et eodem exemplo procedere dispositionem in eo, cui accidit veritas per rationem, hoc est, per syllogismum & inductionem.

In specie: Principia sunt duplicis generis: alia enim sunt principia essendi, alia cognoscendi principia. Principia essendi sunt, à quibus res habet & ut sit, & ut cognoscatur. Principia essendi sunt duplicis generis: sunt n. vel causæ, vel rationes emanandi. Causæ rei sunt quatuor, Efficiens, Materia, Forma, Finis. Ratio emanandi dicitur, quando res ab alio habet emanationem, & originem sui esse, à quo tamen non ut à causa dependet. Quomodo Ens est ratio emanandi suis affectionibus Uni, Vero, Bono. De his principiis verum est; Eadem sunt essendi & cognoscendi principia.

Principia cognoscendi dicuntur, à quibus res illativè tantum, hoc est, non secundum esse, sed tantum quoad cognitionem dependet. Ea sunt duplicis generis: sunt enim vel incomplexa, vel complexa. Principium cognitionis tantum in complexum est: vel effectus ratione suæ causæ, vel accidens ratione sui subjecti. Principium

cipium vero complexum est duplicis generis, ut est apud Aristot. 1. post.. cont. 14. Est n. vel Dignitas, vel Positio. Dignitas est principium, quod sua certitudine & evidentia, fidem apud omnes meretur, ut est: Totum est majus sua parte: Impossibile est idem esse & non esse. Positio duplex est: Suppositio, & Definitio. Suppositio alio nomine dicitur Petitio, & Postulatum, quod non eget confirmatione, sed assensum duntaxat auditoris exposcit, ne ulla sit in demonstrando hæsitatio & difficultas, cujusmodi est: E quovis puncto ducere lineam ad quodvis punctum. Definitio est vel Quid nominis, vel Quid rei. Illa artis termini explicantur, ne vel ambiguitate, vel obscuritate laboremus. Hac ipsa rei natura, seu quid est esse rei cognoscitur. Hæc ferè principiorum genera sunt. Ad quorum meliorem notitiam sequentia in considerationem adduci possunt.

In principio tria consideranda veniunt; Subjectum, Relatio, & fundamentum hujus relationis. Subjectum dicimus rem quæ principium esse denominatur, ut Deus, quem principium esse dicimus. Relatio vero est ordo seu respectus inter principium & principiatum, cujusmodi ordo est inter patrem & filium, ille enim hujus est principium. Fundamentum vero huius relationis est consecutio & dimanatio principiati à principio, ut quod à patre filius producatur per vim generativam.

Fundamentum verò relationis determinat modum, secundum quem principiatum ad principium consequitur. Hic vero modus in genere est, quod principia virtute in se continent principiata: nam eorum unum non est formaliter idem, quod est aliud, sed unum natum est ab alio origi-

originem accipere In specie verò ordo principii ad principiatum multiplex est: Est enim modus quidam tantùm originis, ut unum sit ab alio, sine tamen efficientia vel dependentia, eo modo in divinis dicitur Pater esse origo Filii, quatenus Filius non est à se, sed à Patre, quoad generationem, tametsi de se habet esse divinum. Secundus modus est virtutis potestativæ, secundum communem prædicandi rationem. Et eo modo minus universalia continentur in magis universalibus, à quibus esse genericum participant. Tertius modus est propriæ efficientiæ, quomodo effectus dependet à sua causa: Et hic modus infert non tantùm ordinem & originem, sed & necessariam quandam dependentiam & causalitatem. Sub hoc genere comprehendimus omnes causarum modos. Quartus modus est illationis, secundum quem ex antecedente infertur consequēs, conclusio scilicet è præmissis.

2. Vocis principii variæ significationes sunt, ut docetur apud Arist. 5. Met. cap. 1. Nam. 1. Principium illud dicitur, à quo quis primum movetur, ut putà magnitudinis & viæ. 2. Unde unumquodque benè & facilè fieri potest, quomodo in disciplinis ordo doctrinæ principium facit, unde facilius rem discere possimus, à facilioribus ad difficiliora pergendo. 3. Principium dicitur ea pars, quæ primò generatur, ut fundamentum domûs. 4. A quo primò motus & transmutatio oritur, ita prolis principium sunt pater & mater. 5. Quod est dignitate primùm, ut ad ejus arbitrium & electionem moveantur omnia quæ moventur, & mutentur quæ mutantur, ita civitatum principatus & magistratus principa dicuntur, quia ab his reguntur omnia in civitate. Et disciplinæ Architectonicæ sunt

prin-

principia artium ſubſervientium. 6. Eſt principium cognitionis, ut è quo cognito res aliæ cognoſcuntur. Ita demonſtrationum principia dicuntur axiomata & ſuppoſitiones. Ac cùm toties principia dicantur, nos ea tantum principiorum genera adduximus, quæ ad Philoſophiæ ac ſcientiarum cognitionem faciunt: cujuſmodi ea tantum ſunt, quæ vel ad eſſentiam faciunt, vel cognitioni inſerviunt: Ea enim principia Philoſophiæ & ſcientiæ ſunt neceſſaria.

3. Ad pleniorem intelligentiem principiorum tria dubia hoc loco movebimus: Primum eſt; An eadem ſint principia rei & ordinis doctrinæ. 2. An eadem eſſendi & cognoſcendi principia. 3. quodnam principiorum omnium ſit primum?

An eadem ſint principia rei et doctrinæ?

Prius & notius eſſe duplex docetur apud Ariſtot. 1. poſt. cont. 12. prius & notius naturâ, & prius ac notius quoad nos. Prius & notius naturâ illud dicitur, quod à ſenſu eſt magis remotum. Prius vero & notius quoad nos illud, quod ſenſu eſt magis propinquum. Hinc ergo quæritur, an ordo doctrinæ & diſciplinæ deſumendus ſit ab iis, quę ſunt notiora & priora naturâ, an vero ab iis, quæ ſunt priora & notiora quoad nos.? Eſt vero ordo doctrinæ methodus diſponendarum partium ſcientiæ & diſciplinæ, ſecundum prius & poſterius, melioris cognitionis adipiſcendæ gratia inſtituta. Quomodo de univerſalioribus prius docemus, quam de magis particularibus, quia illa inſerviunt horum cognitioni; ita de elementis prius docemus, quam de mixtis, quia horum cognitio ex illorum cognitione dependet. Et ita differt ordo doctrinæ à via doctrinæ; quod in via doctrinæ in-

inſtituitur cognitio rei per illationem, ut è re nota per diſcurſum, in rei ignotæ cognitionem deducamur: ordo verò doctrinæ non facit illationem hujus rei ex illa, ſed ſolùm diſponit ea, quæ tractanda ſunt.

Hic dicendum, quod ordo doctrinæ ſemper deſumatur ex iis, quæ ſunt priora & notiora quoad nos, ut ſcientiarum diſponendarum ratio non ſit natura ipſarum rerum, ſed noſtra melior cognitio. Nam unde faciliùs diſcere & rerum notitiam percipere videmur, hæc priori loco collocamus: poſteriori v. quæ non ita nobis ſunt manifeſta. Ratio ejus rei certa eſt: Nam ordinis doctrinæ finis eſt, noſtra melior cognitio; ordine enim potiùs quam confuſe res diſponimus, non tam ut in rebus ipſis ſecundum naturam propriam conſideratis ordo ſtatuatur: Verùm quoad nos, ut res certò ordine diſpoſitas faciliùs & certiùs diſcere & cognoſcere poſſimus. Quum vero è fine quidque ſuo metiamur, hoc potiùs attendendum nobis, quod ad finem eum conſequendum certiùs nos ducit. Certior vero ratio finis ejus conſequendi eſt, ſi ad noſtram faciliorem cognitionem potiùs ordinem inſtituamus, quam ſi ſecundùm naturæ notiora & priora progrediamur. Ordo ergò doctrinæ potius requirit, ut ſecundùm noſtram faciliorem cognitionem ordinem inſtituamus, quam ſecundùm propriam rerum naturam. Hanc ſententiam docuit Ariſtot. 5. Metaphyſ. cap. 1. ex oppoſito, inquit, aliud principium eſt illud, unde quodque optimè fiat ut doctrinæ, non à à primo, ac rei principio aliquando inchoandum eſt, ſed unde quis faciliùs diſcat. Et hunc ordinem obſervavit Ariſt. ut docet in 1. de hiſt. animal. c. 6. primum inquit

(quam

(quam cæterorum animalium) partes hominis explicare debemus. Ut enim nummos ad id quod sibi quisque exploratum certumq; habeat probare solet; ita cæteris quoque in rebus agendum est. At homo animalium maximè omnium notus nobis necessariò est. Quam eandem sententiam iisdem penè verbis repetit in 2. de part. animal. c. 10. Et eandem docuit Averr. 1. Metaph. t. 1. Principium doctrinæ est in scientiis aliud ab eo, quod est in rei veritate principium. sicut Arist. fecit in multis libris.

At cum in ordine sæpius ea præponantur, quæ naturâ non sunt notiora: quemadmodum in Physicis videmus egisse Aristotelem, prius de rerum naturalium principiis, quæ ipsis rerum naturalium speciebus natura sunt priora & notiora: hoc inde fit, quia sæpius coincidunt notius natura & notius quoad nos. Nam notius quoad nos duplex est: unum notius quoad nos tantum, quod non est notius natura, effectus quoad nos notior est causa, non natura. Aliud est notius quoad nos, & natura notius, ut sunt universalia, è quibus singularia cognoscuntur: nam ea secundum confusam notitiam sunt notiora nobis, & sunt etiam notiora natura, quia universalia sunt de particularium essentia & natura, Quando ergò idem est notius nobis, & quoad naturam: tum in ordine doctrinæ coincidit notius & prius quoad nos, & quoad naturam. Quando vero ordo doctrinæ est tantum è notioribus nobis, jam principia rei & cognitionis sive doctrinæ differunt.

Et hoc sensu manifestum jam est, non semper eadem esse principia rei, & doctrinæ. Nam tum demum eadem sunt, quando idem est notius quoad nos, & quoad naturam, quando verò

rò doctrina est tantûm è notioribus nobis, tum principia rei & doctrinæ seu cognitionis differunt. Quod si quæstionis terminos aliquanto latius & ad viam doctrinæ extendere velimus, non opus est, ut pluribus disputemus, nam via doctrinæ jam è prioribus infert posterius, jam è posteriori prius: Priori tantum ratione principia rei & doctrinæ coincidunt, posteriori modo differunt.

Ita quando è mutatione substantiæ deducimur in cognitionem materiæ primæ, ex eo quod est natura consequens inferendo natura antecedens, ab eo, quod est notius quoad nos arguimus quod est notius naturâ. Quando vero è primo motore motum primum agnoscimus, ab eo quod est natura notius, arguimus id quod natura ignoratum.

An eadem sint essendi et cognoscendi principia?

Hoc dicendum quod omnia essendi principia sunt etiam principia cognoscendi: Ast non contra, omnia cognoscendi principia sunt etjam principia essendi. Ita è nihilo nihil fieri, cognoscendi principium in Physicis est: sed nulli rei dat esse. Contra à forma dependent & esse rei, & ejusdem cognitio. Juxta hoc quod in communi est, dans formam dat tria: esse, cognosci, & operari. Hanc sententiam docuit Averroës 5. Metaph. t. 1. Universaliter inquit, omne principium aut est principium in arte, aut est principium in esse, & tamen quibusdam artibus accidit, ut principium essendi sit idem cum principio doctrinæ, & in quibusdam non. Vide Zabar. de nat. sci. const. c. 11.

Quo-

Quodnam sit primum omnium principium?

Primi principii naturam & conditionem nobis describit Arist. 4. Metaph. t. c. 8. 1. ut sit omnium certissimum: ejusmodi vero, circa quod mentiri est impossibile. 2. ut sit notissimum: quum n. ex ejus cognitione cætera omnia dependeant, necesse est, ut nemo in ejus cognitione decipiatur. Nam quod de principiis in genere verum est: Error in principio in initio parvus, in progressu fit magnus, id de hoc tanto verius, quo est omnibus scientiis communius & universalius. 3. Ne sit ex suppositione: Nam qui aliquid cognoscit, hoc cognoscat necesse est, quia in ejus virtute omnia alia continentur. Hanc dignitatem Arist. 4. Met. t. c. 9. tribuit huic principio: Impossibile est idem esse & non esse. Nam hujus principii certitudo tanta est, ut ne philosophari quidem sine isto possimus. Impossibile siquidem quempiam idem opinari esse & non esse, de eodem contradictorias opiniones statuendo.

De qua controversia ut statuamus, dicendum, quod scientia duplex est: una ostensiva, altera deducens ad impossibile. Est vero scientia ostensiva, scientia rei qua de subjecto per medium directè demonstratur prædicatum, ut quando de Luna demonstramus Eclipsin per interpositionem terræ.

At vero scientia seu ratiocinatio deducens ad impossibile est, cùm ex contradicente conclusionis, hoc est, propositæ quæstionis ad probandum, & ex alio pronunciato manifestè vero, colligimus aliquid quod sit manifestè falsum & impossibile, quo sublato, quæstio proposita probata relinquitur. Ut: Omne animal sentit: omnis homo est animal, ergo, omnis homo

sentit. Quæ conclusio si cui falsa videatur è contradicenti conclusionis cum altera præmissarum vera deduco ad impossibile, ita: Omne animal sentit. Quidam homo non sentit, ergo quidam homo non est animal. Absurda conclusio: ergo è præmissis altera, non propositio, quia concessa: ergo assumptio, quidam homo non sentit Vera ergo ejus contradictoria, quia contradictariorum alterum necessario verum est: Ea vero, omnis homo sentit, quæ prioris ratiocinationis erat conclusio.

His ita suppositis dico 1. Ad scientiam ostensivam formaliter & per se nihil confert hoc principium, hoc est, non potest actu poni, ut sit altera præmissarum in scientia ostensiva. Cum enim scientia ostensiva ex iis procedat, quæ directè inferunt conclusionem, nulla vero conclusio directe deduci ex hoc ipso principio possit: tota enim ejus principii via in contradictione & repugnantia sita est: ad scientiam ostensivam directe instituendam nihil conferre videtur. Hoc enim scientiæ genus, ex ipsa rerum natura petendum est: ejusque principia prima è primis rerum generibus deducenda. Ac tametsi prima rerum genera nullas ex se passiones realiter diversas, per propriè dictum causandi modum producere possint: ratio tamen emanandi iis non negabitur, ut quæ sunt natura priora, sint rationes suorum posteriorum. Et ita priora ad scientiam ostensivam suorum posteriorum conferre possunt. Hoc sensu eleganter disputavit Scotus In 2. d. 15. quæst. 2. Ens esse primum ordine ad Unum, Bonum, Verum: Hæc vero ad illud sese habere per modum passionum. Hic ergo Ens erit primum principium, è quo hæ ipsæ passiones

nes profluunt : ut Ens ſit primum principium primæ paſſionis, reliquæ v. ſeſe mutuo ſequantur, ſecundùm rationes proprias, ut una ſit ratio alterius.

Dico. 2. In ſcientia deducente ad impoſſibile, tota vis ſcientiæ conſiſtit in hoc principio : Impoſſibile eſt idem eſſe & non eſſe. Quando enim Sophiſta per directam ſcientiam redargui non poteſt, ad abſurdum deducitur, ut opinionis ſuæ falſitatem è contradictione ſeu repugnantia ſui ipſius cognoſcat : Ut ; qui negat omnem hominem ſentire, neceſſariò concedit, quendam hominem non ſentire, nec ergò quendam hominem eſſe animal, ſibi ipſi ergo contradicit, quia omnem hominem & eſſe animal, & omne animal ſentire conceſſit. Et ita ſibi contradicendo redarguitur, quia idem eſſe & non eſſe eſt impoſſibile.

Dico 3. Primum hoc principium, tametſi non ingrediatur demonſtrationem oſtenſivam : extrinſecus tamen omnibus ſcientiis & demonſtrationibus inſervit. Nam duobus modis principia conferunt ad ſcientiam ; vel intrinſece, ea quæ actu in demonſtratione ponuntur, cujuſmodi ſunt principia propria. Vel extrinſecè, quæ tametſi actu non ponuntur, virtute tamen demonſtrationi inſerviunt, quia intellectum juvant, ut terminorum neceſſitatem promptiùs intelligat. Eo modo principia communia & dignitates omnes demonſtrationi inſerviunt, judicium in univerſalibus formando, ut ſit certius in particularibus. Et ita hoc principium quia eſt maximè commune, omnium demonſtrationum principium eſt : nam ejus virtute omnium concluſionum veritas nititur, ut cùm certi ſimus de hac concluſione quæ ex

his principiis nascitur, veram ejus contradictoriam esse non posse nobis persuadeamus.

Dico 4. Hoc principium primum est simpliciter. Nam fundamentum omnium scientiarum est, ut de assensu principiorum & conclusionum certi esse possimus.

Sed in contrarium adducunt, affirmationem esse priorem negatione. Negativum esse hoc principium. Non ergò posse esse primum: necessariò enim præcedere affirmativum. Respondere hic potest duobus modis: 1. negando, esse hoc principium negativum. *Modalis* enim negatio pendet è negatione modi. Modus verò hujus axiomatis negativus non est. 2. dicendum, quod duobus modis intelligi potest affirmativum præcedere negativum: Uno modo ratione terminorum, alio modo ratione evidentiæ. Priori modo semper negativum ante se requirit affirmativum, quia necessarium est, ut termini sint, è quibus negativa componitur. Ratione evidentiæ vero negativum potest esse prius affirmativo: quomodo hoc principium est evidentissimum, cujus virtute omnes demonstrationes ad impossibile deduci possunt. Dices: fuisse ab Heraclito negatum; non ergò esse notissimum & evidentissimum. Respondet Aristoteles 4. Metaphys. non esse necesse, quæcunque quis negat, ea etiam putare. Et ejus naturæ hoc esse principium, ut tametsi pertinaciâ ductus verbo id quis negare possit, aliter tamen sentire necessariò cogatur ob principii evidentiam, cui intellectus necessario assentitur.



CAPUT

CAPUT XIX.

De Causis & Effectis.

I.

ENs est vel Causa, vel Causatum.

2. *Causa est principium per se influens esse in aliud,*

3. *Causarum alia est realis, alia Intentionalis.*

4. *Causa realis est, cujus influxus effectum attingit nullo intellectûs opere accedente.*

5. *Ea est vel extrinseca, vel intrinseca.*

6. *Extrinseca est causa, à qua manente extra essentiam causati influxus ad producendum effectum nascitur: alià dicitur causa Efficiens.*

7. *Causa Efficiens est causa, quæ producit extrinsecè aliud, cujus ipsa non est pars. Biel in 2. d. 1. q. 5. art. 1.*

8. *Causa alia per se agit, alia per accidens.*

9. *Causa efficiens per se est, quæ naturâ suâ ordinata est ad effectum producendum, ideóque virtutem realem & positivam effectui communicat: seu, quæ producit effectum virtute propriâ, ut describit Soncinas. 12. Met. q. 3.*

10. *Ea vel est Totalis, vel Partialis.*

11. *Causa totalis est, à qua sola effectus dependet.*

12. *Ea vel est sufficiens, vel adæquata.*

13. *Totalis sufficiens dicitur ea, à qua sola ita dependet effectus, ut ei non repugnet eundem effectum ab alia etiam quadam causa produci, quomodo calor ita dependet ab igne, ut simul possit esse à Sole.*

14. *Totalis adæquata dicitur, à qua sola ita pendet effectus, ut ei repugnet ab alia causa eundem effectum produci: quomodo Deus est causa totalis mundi.*

15. *Partialis causa est, à qua sola effectus non dependit, sed quarum plures ad eundem effectum producendum concurrunt: aliàs dicitur causa socia.*

16 *Causæ sociæ sunt vel ejusdem ordinis, vel diversi.*

17. *Causæ sociæ ejusdem ordinis sunt, quarum æqualis est influxus in effectu producendo: ut duo trahentes navim.*

18. *Causarum sociarum diversi ordinis divisio, vel attenditur secundùm latitudinem, vel secundùm vim agendi.*

19. *Quoad latitudinem causarum alia est Universalis, alia Particularis.*

20. *Causa universalis est, quæ indifferens est & indeterminata ad plures effectus producendos, ut: cœlum.*

21. *Causa particularis est, quæ ad unum effectum est determinata, ut homo non nisi hominem generat.*

22. *Secundùm vim agendi causa alia est Principialis, alia Instrumentalis.*

23. *Causa principalis quatuor modis dicitur: 1. causa agens independenter, & ita prima causa sola est principalis, omnes verò secundæ sunt instrumentales. 2. Agens Quod, totum sc. suppositum à quo actio proficiscitur: ita pars dicitur causa instrumentalis, seu agens Quo. 3. Principalis dicitur cui tribuitur effectûs productio: instrumentalis verò à quo dispositio ad effectum producendum fit, ut: ignis est causa producendi Ignis, instrumentum verò calor. 4. & quidem maximè propriè, causa principalis ea dicitur, quæ agit per formam propriam intrinsecam, ita ut in suo genere ab alia causa in agendo non dependeat: instrumentalis verò, quæ non agit per propriam formam,*

mam, sed tantùm per motionem agentis principalis. Vide Scotum in 4. d. 1. quæst. 1. & ibid. Gabriel.

24. Causa per accidens est, cujus per se non est influxus in effectu producendo.

25. Et est Fortuna, vel Casus. Fortuna in voluntarie agentibus, Casus in iis quæ agunt naturaliter.

26. Causa intrinseca est, quæ ita ad effectum producendum concurrit, ut sit pars essentiæ,

27. Estque Materia, vel Forma.

28. Materia dicitur, vel Proprie, vel Improprie.

29. Materia proprie dicta est materia ex qua, quæ est altera compositi pars, sustentans formam, ut ex utriusque conjunctione fiat compositum.

30. Estque immanens, vel transiens: illa è qua permanente res fit, ut corpus est materia hominis. Transiens, è qua transmutata res fit, ut è cibo sanguis & caro.

31. Improprie dicta materia, est vel materia in qua, vel materia circa quam.

32. Materia in qua est subjectum, in quo accidens inhæret: ut paries albedinis.

33. Materia circa quam est objectum, circa quod vis & facultas quædam versatur, ut: color visus.

34. Forma est causa, quæ est altera compositi pars, per quam res est id quod est: & hinc à cæteris rebus distinguitur, operationésque suas obtinet.

35. Hinc à forma tria oriuntur. Esse, distingui, & operari.

36. Causa intentionalis est, quæ concepta ab intentione agentis sui amore & desiderio extimulat agens ad agendum: & dicitur Finis.

37. *Finis est causa, cujus gratia res est.*

38. *Finis alius est* ᾧ, *alius* οὗ.

39. *Finis* ᾧ *est, cujus bono cedit finis: ut homo calcei.*

40. *Finis* οὗ, *est finis ad quem actio fertur.*

41. *Estque finis hic vel generationis, vel rei genitæ.*

42. *Finis generationis est, quo posito cessat actio: hoc modo forma dicitur finis generationis, quia eâ introductâ cessat generatio.*

43. *Finis rei genitæ est finis, qui rem factam consequitur: ita inhabitatio est finis domûs.*

44. *Causatum est principiatum à causa dependens: seu, in quod causa influit suum esse.*

45. *Hoc dividitur in quatuor genera correspondentia causis: scilicet in ordinatum ad finem, quod est finitum, & in causatum ab efficiente, quod dicitur effectum, & in causatum à materia, quod dicitur materiatum, et in causatum per formâm, quod dicitur formatum, Scotus in lib. de 1. prin. cap. 1.*

46. *Effectum vel est operatio, vel opus.*

47. *Operatio quædam est actio se ipsa terminata, ut visio: quædam tendens ad opus, ut, ædificatio.*

48. *Opus est effectum actionem transeuntem terminans, & post actionem relictum, ut domus.*

COMMENTARIUS.

DUplici ratione doctrinam causæ & effectus Metaphysicus tractandũ suscipit: uno modo quia causa & effectus reciprocantur cũ omni Ente: omne enim Ens vel est causa, vel effectum. Partim etiam, quia primus Philosophus tractat de primis rerum principiis, tum inquirendo

rendo eorum naturam, tum investigando numerum. Ac ex altera quidem ratione dicimus, quod unum Ens sit, quod est causa sine causa, hoc est, omnia ab eo ita pendent, ut ipsum à nullo alio pendeat: reliqua vero omnia ita sunt comparata, ut & fiant & agant, hoc est, respiciant aliquid se superius, ut causam, aliud inferius, ut effectum. Ex altera vero ratione dicendum, quod quantum ad numerum causarum attinet, quatuor numero causæ sunt: Efficiens, Finis, Forma, Materia: atque eum numerum comprobavit Arist. in 1. Metaph. asserendò, quod ex communi Philosophorum consensu pendent. Vide Fonſ. 1. Metaph. In hunc vero modum numerus ille quaternarius causarum probabilis ferè reddi potest: Ens aut est causa, aut causatum. Causatum aut est simplex, aut compositum. Simpex, si factum est, ab alio factum est; nec factum est temere: agens ergo, & finem ponit. Compositum non tantum ab alio est, & propter aliud, sed etiam est ex alio: non vero ex alio ut uno simpliciter, esset enim simplex: Ergo ex alio ut pluribus, non vero ex pluribus ut sine ordine, esset enim Ens per aggregationem. Ergo ex pluribus habentibus ordinem ad invicem. Ordo vero hic accidentalis non est in eodem genere, ergo in eodem genere constituuntur per unum, quod habet rationem potentiæ, & aliud quod habet rationem actus. Illud materiam dicimus, hoc formam. Inde elegantissime Scalig. lib. 2. de plantis pag. 292. qui compositi, inquit, & accidentium causas reddendas suscepisset, materiam, formam, efficientem & finem ponere debuerat. Materia namque & forma substantiæ partes sunt atque elementa. Efficiens principium, finis movens: Et Hermolaus Barb. lib. 1.

Nat. Scientiæ cap. 25. omne id, inquit, quod materia & forma constat, quatuor habeat causas necesse est. Formæ vero substantiales sine donantur & efficiente duntaxat. Idem etiam assecutæ sunt formæ substantiis adjacentes.

Videtur tamen etiam ponenda esse quinta causa, exemplaris nimirum. Verum dicendum, quod ea ipsa non sit distincta causa à reliquis: potest enim vel reduci ad formam, quatenus exemplar & forma in communi ea ratione conveniunt, ut tantùm speciei Ens habent juxta formam, quantum habet in suo exemplari: vel ad agens etiam reduci potest, quatenus duo consideramus in agente: uno modo quod agat, altero modo quod agat determinate. Quorum primum ab agente de se est, posterius vero ab agente, quatenus instructum est aliquo exemplari. Quatenus igitur agere determinate non infert aliquam peculiarem relationem ad effectũ alium ab activitate de se in genere, reducendũ omnino exemplar ad efficientem causam videtur.

Natura verò earùm hæc est; Causa uno modo dicitur, ex qua inexistente aliquid fit: alia verò forma & exemplar, hæc autem est ratio ipsius quid erat esse. Item unde principium mutationis primum. Item ut finis, hæc autem est cujus causa, ut docetur apud Arist. 2. post. cont. 48. Ac de primo quidem modo, quod dicitur causa ex qua inexistente aliquid fit, dicendum, quod hæc ipsa ratio in materiam cadat. Ea enim ab Aristot. 1. Phys. tex. 82. definitur, quod sit rei cujusq; subiectum primum, è quo insito; non ex accidenti, aliquid oriatur, & in quod, si quippiam interit, ultimum abeat. In qua definitione tria notantur. 1. quod sit subjectum. 2. quod ex hoc subjecto insito aliquid fiat: 3. quod

quod in illud ultimum aliquid abeat. De primo Scalig. dicit in 1. de plantis pag. 38 55. & 2. de plantis pag. 293. 438. exer. 61. quod commune sit subjectum aliquod omnium formarum susceptivum, quod ex sese nihil ponat, sit vero omnium πανδεχὲς.

Fungitur autem materia duobus muneribus, quatenus formæ famulatur, ut est apud Zabar. de constit. Indiv. cap. 7. Uno enim modo est necessarium fundamentum quidditatis, nulla habita ratione actualis existentiæ: altero modo consideratur, ut actu existens extra animam sub forma, & per formam. Ac priori modo loquuntur, qui dicunt, ipsam materiam non ingredi in rationem essentiæ ac quidditatis rei: videtur enim essentia, prout est species, esse quid simplex, eaque ratione non potest esse ex pluribus intrinsecè, etsi prout distinguitur ab incorporeis, ordinem aliquem habet ad materiam, non ut in ea ponat essentiam, sed ut in ea ponat esse, quatenus essentia non est existens nisi in hac materia, existit autem in hac materia, non ut est species, sed ut est hic & nunc, & eo modo ad speciem ordinatur tantùm ut vehiculum, ad individuum verò ut id ipsum intrinsecè constituens, quatenus] individuum dicimus juxta hanc formam in hac materia.

Forma vero est actus materiæ, faciens ut illa sit hoc, attribuens rebus, quales, quoti, quanti gradus in ipsis sunt, ut est apud Scalig. 1. de plantis pag. 51. 45. Hinc dicitur esse λόγος τῆς οὐσίας, εἶδος, μορφή, τὸ τί ἦν εἶναι, ut est, 1. Post. 7. Metaph. l. de Generat. 2. Phys. & inde docuit Scalig. exerc. 307. sess. 39. Ac inde fit, ut materiam eatenus perficiat, quoad aptum sibi atque idoneum domi-

domicilium sua opera comparatum induat: eaque ratione ex ejus potentia educi dicitur, non quòd vis quædam activa in materia requiratur ad hunc actum producendum, sed quod non est invita aut coacta, sed docilis & apta, & ad recipiendam & ad fovendam formam. Seu: ut sunt verba Pererii lib. 5. Ph. cap. 22. Educitur forma è potentia materiæ, quatenus fit 1. ab agente materiali. 2. per dispositiones materiales. 3. in materia inhærentes, ac 4. ita pendet ab ea in fieri, in esse, in operari, & quidditative. Est vero in composito officium formæ hoc, ut determinet & constituat hoc aliquid, distinguat & separet, contineat, uniat, & operationibus imperet, ac determinet idem, quatenus materia de se indifferens reducitur ad hanc speciem sub hac determinata forma: hoc aliquid vero constituit, quatenus ipsa speciei essentia ab ea est. Inde vero distinctio & separatio insequitur: quatenus iisdem res est, & distinguitur. Est vero primario & intrinsece res à forma. Ab eadem ergo distinctio sequatur oportet. Continere vero & unire dicitur, quatenus quæ plura sunt in uno composito unum fiunt ab una forma: quomodo Esse, vegetari, intelligere, homine uniuntur ratione unius animæ à qua sunt, & multæ partes materiales, quatenus ordinantur ad imperium formæ sub ea unum quid fiunt, ut est apud Scalig. exer. 346. Operationibus vero imperare dicitur, partim iis, quæ ab ea proficiscuntur, partim etiam iis quæ extrinsecus sunt, determinando eas ipsas ad modum subjecti in quo est.

Efficiens dicitur unde principium mutationis primum aut quietis. Ac motus quidem principium dicitur, non ut quidam putant, quod omne

omne agens agat per transmutationem rem cum motu producendo: sed objective seu terminative, quatenus semper virtute agentis terminus actionis aut alius est, aut alio modo se habens. Alias enim nota est communis distinctio efficientis, quod aliud cum actione & passione agit, ac proprie agens dicitur, aliud vero fit, quod absque ulla resistentia facientis sine ulla conatu, quasi sponte sua eum, qui ipsum insequitur effectum producat, unde & minus proprie efficiens dicitur, ut est passim apud Zabar. 1. de propos. nec. c. 10. s. 1. De motu gravium & lev. c. 11. Illud est agens per transmutationem, hoc agens per emanationem.

Agit vero efficiens causa vel per se, vel per accidens. Per se agit, quæ propria virtute & intentione agit: atque ea est vel principalis, quæ alias in agendo dirigit, alia instrumentalis, quæ à principali dirigitur. Principalis vero vel est Universalis, vel Particularis. Universalis dicitur, quæ varios effectus potest producere: Itaque est universalis in subjecto, quia ad plures effectus virtus ejus extenditur. Particularis vero ea, quæ ad unnm tantum effectum producendum est ordinata. Atque è conjunctione particularium & universalium causarum oritur subordinatio: dicuntur vero quædam causæ subordinari essentialiter, quædam vero accidentaliter. Essentialiter subordinari eæ dicuntur causæ, quæ ejusdem generis, ita affectæ inter se sunt, ut una ab altera ex natura sua pendeat in causando, ut est apud subtiliss. Dyns in 1. sent. d. 2. q. 1. Accidentaliter vero subordinari dicuntur eæ causæ, quę ejusdem generis ita affectæ inter se sunt, ut altera pendeat aliquo modo ab altera, non tamen in causando, ut est apud Fons. 2. Met. cap. 2. q. 1. sess. 2.

Causa

Causa per accidens dupliciter accipitur, ut est apud Lambertum de monte Domin. 2. Physic. ad text. 38. & Armancum de bello visu tractat. 2. cap. 246.

Vno modo ex parte causæ, quia scilicet id quod accidit causæ dicitur causa: quomodo Musicum dicimus ædificare. Alio modo ex parte effectus, & hoc tripliciter. Vno modo, quod habet ordinem necessarium ad effectum per se, ut remotio prohibens, 2. ad effectum habet ordinem per accidens non necessarium, neque ut in pluribus, sed in paucioribus, quomodo fortuita & casualia à causa per accidens dependere dicuntur 3. quod nullum habent ordinem, nisi forte secundum æstimationem, quomodo dicimus terræ motum factum, eo quod ingressi ædes simus.

Post vero efficiens causa referri ad tria, ut est apud Piccol. in digress. 2. Physic. ad cont. 38. ad materiam, formam, compositum. Ad materiam transmutando eam, facit enim dispositiones in materia, quæ ordinantur ad hanc formam, & non ad aliam, quatenus non est forma in qualibet materia, sed in materia sibi determinata. Ad formam, educendo eam de potestate materiæ, si forma materialis sit. Ad compositum, nectendo materiam cum forma.

Finem Aristot. dicit hoc, cujus gratia: itaque pro ejus completa constitutione duo requiruntur, juxta Piccol. 2. Phys. pag. 200. 1. Ut sit vel possit esse extrinsecus. 2. ut sit in intentione agentis. Per primum excitat appetitum agentis: per alterum antecedit, dirigit, movet. Movere vero hoc, ut est apud Scalig. exerc. 254. non est movere proprie, sed ut dicunt Metaphorice: quod nihil aliud est, quam ipsum

amari

amari ab agente, & propter ipſum ſic amatum aliud amari, vel fieri, ut docet Gabriel in 2. diſt. 1. quæſt. 5. art. 1. Eſt autem duplex finis: unus generationis: alter rei genitæ ut docet Pererius 2. Phyſ. cap. 5. & Scalig 1. de plantis pag. 149. Finis generationis vel abſolute dicitur, ut eſt forma apud Ariſtot. 2. Phyſ. text. 81, vel generationis perfectæ, quando genitum valet ſibi ſimile procreare, ut eſt in 4. Meteororum. Finis item rei genitæ duplex eſt: cujus & cui, ex Ariſt. Scalig. 1. de plantis pag. 103. Finis cujus dicitur, cujus adipiſcendi gratia agens movetur, vel operatur. Finis cui dicitur ille, cui alter finis procreatus, ut Docuit Franc. Suarez. diſp. Meta. 23. Sect. 2. nu. 2. & Antonius Scaynus 2. Phyſ. cap. 5. Itaque finis Cujus amatur alteri, ac dicitur finis concupiſcentiæ, ſed ſolus finis, Cui ſimpliciter amatur amore amicitiæ ut eſt apud Thom. 1. 2. q. 28. art. 4. & Gabr. in 2. diſt. 1. q. 5 Finis cui iterum duplex eſt, ut docet Piccol. in digreſſ. ſecundi Phyſ. de fine: vel proprius & proximus vel poſtremus & communis. Proximus is eſt, cui finis qui dicebatur Cujus debet competere: Communis & Poſtremus Deus eſt, cui omnia ſerviunt.

Notari hoc loco poteſt commode triplex gradus eorum, quæ progrediuntur ad finem conſequendum. Primus gradus eorum eſt, quæ non ſub boni ratione tantum finem agnoſcunt, ſed & proportionem mediorum ad finem obtinendum: ita eſt agens voluntarium. Secundus eorum, quæ ſecum materialiter per ſe concipiunt finem ſub ratione boni naturaliter convenientis. Ita cervus aquam deſiderat, non ſub propria ratione, ſed ſub ratione ſibi convenientis, quando ſitit. Tertius eorum eſt,

quæ

quæ nullo omnino modo cognoſcunt finem, agere tamen propter finem dicuntur. quia nutum & inſtinctum ſui motoris ſemper obſervant, & ad illum finem tendunt, ad quem ab illo diriguntur. Ejuſmodi ſunt pure naturalia: qua ea de cauſa dicuntur duci à ſuperiori intelligentia non errante. Ejuſmodi enim Entia deducuntur à Deo, ad ignotos ſibi fines. Vide Matt. Aquar. in diſp. de Ideis. Lambertum 2. Ph. tex. 86.

Atque hæc breviter dicta ſunt de quatuor cauſarum generibus. Ordo vero inter has cauſas varius eſſe poteſt: vel Inventionis, ita materia prima eſt: vel dignitatis, ita finis: vel intentionis, ita idem finis: vel explicationis, ita internæ cauſæ: vel originis, ita materia, ut docetur apud Picc. 2. Phyſ. pag. 284. & ſequen. Eleganter hac de re Gerhardus Matthiſius. 2. Phyſ. cap. 8. Finis, inquit, antecedit propoſito & cogitatione, Efficiens operis executione, Forma dignitate & perfectione, Materia ſubiecto & quaſi generatione. Fini tamen iure ſuo principatus maxime debetur, eo quod iſte in omni re actionis prima origo eſt. Ita Ariſt. 2. Metaph. text. 8. Nullus, inquit, inciperet agere quicquam, ſi non eſſet proventurus ad finem: unde principaliſſimam & honorabiliſſimam ſcientiam, & cui cæteras ſcientias tanquam ancillas contradicere non decet, dicit eam quæ eſt finis & boni: huius enim cauſa cæteras 3. Metaph. text. 3.

Quatuor cauſarum generibus quatuor effectorum ſeu cauſatorum genera reſpondent. Eſt enim aliquid ad quod finis ordinatur, quod dici poteſt finitum, vel forſan rectius finis in executione; eſt & aliquid cauſatum ab efficiente, quod

quod effectum dici potest: est causatum à materia, quod materiatum dicitur: & est causatum per formam, quod dicitur formatum, ut docuit Scotus in libr. de primo principio cap. I. Quæ omnia facile possunt esse manifest, si ea in ordine ad quatuor causarum genera consideremus. Nec opus ut hâc de re fusius agamus, quum hæc doctrina ab aliis fusè sit explicata. Egimus etiam de causis in Physicis nostris, & pluribus in Logicis.

CAPVT. XX.

De Ordine Terminorum divisionis.

I.

DE terminis ipsis diximus: sequitur ordo terminorum.

2. *Ordo terminorum est præcisio termini à termino, ratione formalis conceptus, secundum quam terminus est prior alio.*

3. *Ordo consistit in convenientia & disconvenientia.*

4. *Convenientia est, quod omnes re conveniunt, disconvenientia, quod differunt ratione.*

5. *Ea differentia posita est in eo, quod vel terminus termino est magis intrinsecus: vel quod terminus termino est generalior & specialior: De quo in Commentariis plenius dicitur.*

COMMENTARIUS.

NUnc de ordine terminorum divisionis ad invicem dicendo: sciendum, quod hi termini duobus modis considerari possunt, secundum disiunctionem, & secundum abstractionem à disiuncto. Secundum disiunctionem

eos

eos dicimus considerari, quando ipsius disiuncti termini inter se oppositi sub considerationem veniunt: & hoc modo certum omnino est, quod cum totum disiunctum feratur super omne Ens; & ipsi termini omne medium excludant, contradictorii inter se sint. Ita enim communiter metiri solemus contradictoria ex immedietate, infinitate, ut ea quæ non non certi & determinati subjecti, sine medio posita, ea contradicere sibi dicamus, ut colligitur ex Aristotele 1. post. cont. 13.

Abstractionem vero à disiunctione dicimus, quatenus totum divisum in divisionis terminis exponitur, verbi gratia, quomodo sese habeant invicem infinitum & finitum, ad increatum & creatum: quomodo increatum & creatum, ad à se & ab alio: quomodo à se & ab alio, ad necessarium & contingens &c. Ac hoc modo tria circa hos terminos dicenda veniunt: 1. In quo differant. 2 In quo conveniant; & 3. qui eorum terminorum sint priores & posteriores.

Differentia eorum manifesta est è ratione fundamentali divisionum: quando n. dividitur res in creatam & increatam, fundamentum divisionis est specialis dependentia, creatio scilicet. Fundamentum divisionis in rem à se, & ab alio, à generali dependentiæ ratione desumitur; inde sequitur rem esse Necessariam & Possibilem: quoniam quæ est à se, Necessaria est, potentiam vero habet ad fieri, quæ est Possibilis. Esse vero infinitum & finitum sunt prima fundamenta omnis potentiæ, tam ad esse hoc, quam ad fieri. Inde ergo sequuntur diversi conceptus: quoniam esse finitum & esse infinitum proprie videtur spectare formale essentiæ

essentiæ, juxta quod tantam perfectionis quantitatem res quæque habet, ut ea ipsa vel extra terminos sit, vel certis terminis comprehensa. Esse vero à se, & esse ab alio non videtur spectare formalem essentiæ rationem, sed ut essentia spectat quid extrinsecum: excludendo nimirum, vel causam efficientem, vel eam ipsam admittendo. Quod innuit fundamentum divisionis in increatum & creatum: est enim creatio specialis dependentia ad extrinsecum, quo ad hoc, quod fieri potest, & est tantum in potentia objectiva, non item subjectiva, hoc est, ut non fiat ex alio, sed tantum ab alio. Et ponitur creatio pro fundamento hujus divisionis, non quod creatura omnis immediatè è nihilò sit, sed quod creationis beneficio res unaquæque speciem suam primum acceperit. Esse v. Necessarium & possibile ponit modum dependentiæ hujus, quod nimirum res creata sit possibilis esse ab alio, idque contingenter, quoniam se habet per modum oppositi ipsi necessario. Unde & hoc videtur posse deduci, quod res creata non sit ab alio per naturalem quandam emanationẽ, eo enim modo quæ dependent, necessario dependent: sed quòd productæ sint res creatæ voluntarie, ea enim ratione necessitatem excludunt. Independens & dependens videtur convenire cum divisione è se & ab alio. Principium & principiatum videtur denotare positivum influxum principii in id, quod à principio est. Causa vero & effectum denotat varios modos dependentiæ effecti à sua causa.

De convenientia vero dicendum, quod res increata, incausata, infinita, independens, principium sine principio, & res necessaria

Deus

Deus est: causata possibilis, dependens, principiatum, effectum, & res finita communi nomine, creatura dicitur. Unde conveniunt in duobus: 1. In communi subjecto. 2. In communi dependentia. In communi subjecto quidem, quatenus altera disjunctorum pars pro subjecto Deum habet, altera vero creaturas. Dependentiam vero quatenus altera pars omnem excludit, altero vero eam ipsam infert. Unde patet, quod res una est, & si tantum differentia secundum conceptum.

Ordo vero hic est, ut cum propria cuique rei sit essentia, primo res sit infinita & finitá. Secundo si respicias extrinsecum, res alia vel est in potestate objectiva, vel non est, ac ita secundum locum tribuimus Necessario & Possibili. Unde sequitur dependentia secundum potentiam, ut res sit à se, vel alio. Ac quoniam generalis dependentia prior & speciali, quarto loco ponimus Ens increatum & creatum: habet enim se creatio in modum speciei ad dependentiam in genere. Hinc principium & principiatum causa & causatum sequitur. Ac tantum de ordine terminorum divisionis.

CAPUT. XXI.

De Universali & Singulari.

I.

Divisiones Entis per modos intrinsecos, qui sequuntur Ens quatenus Ens peregimus: sequuntur eæ, quarum fundamentum desumitur è passionibus Entis.

2. *Earum aliæ insequuntur Vnum, aliæ Verum, aliæ Bonum.*

3. *Vnum insequuntur Vniversale & Singulare,*

lare, Identitas & Diversitas, Simplex & Compositum, Totum & Pars.

4. *Vniversale consideratur, vel secundum nomen, vel secundum rem.*

5. *Quoad nomen universale dicitur multipliciter. Est enim universale vel in distribuendo, vel universale in repræsentando, vel in causando, vel in prædicando.*

6. *Vniversale in distribuendo est signum universale denotans prædicationem vel omni, vel nulli subjecto convenire, ut sunt nota: Omnis, Nullus de quo* Logicus *in lib.* de Interp.

7. *In repræsentando universale est species intelligibilis abstrahens ab hic & nunc, repræsentans intellectui notionem convenientem pluribus individuis & singularibus. De quo* Physicus *in lib. de anima de specie intelligibili.*

8. *Vniversali in causando est causa indifferens, ad plures effectus producendos :, ut : Deus, cœlum.*

9. *Vniversale in prædicando cui non repugnat inesse multis, & consequenter prædicari.*

10. *Ejus consideratio quoad rem Metaphysici propria est.*

11. *Vniversale duo in se complectitur : Materiale & formale,* à Thom. 1. part. quæst. 85. artic. 3. ad 1. *Zimara in quæst.* de primo cognito. & *Martino Polichio prædicab.* q. 4. notab. 1.

12. *Materiale universalis est natura, quæ denominatur universalis : & est fundamentum universalitatis ratione ejus aptitudinis, quã habet non repugnantiam ad hoc, ut multis insit.* Lambert. *de moni. dom.* 1. *de animat. c.* 8. *vocat universale Imperfectum. Et hoc modo universalia sunt, quid à parte rei.*

13. For-

13. *Formale est ipsa universalitas denominans naturam, ut universalis dicatur.*

14. *Formale duo in se complectitur: unitatem, & actualem respectum ad plura. Ea duo non conveniunt universali, nisi mentis operatione accedente.*

15. *Singulare illud dicimus, quod est incommunicabile multis inferioribus, de quibus dici possit. Seu: quod est definitum ad hic & nunc: qua tamen posterior descriptio in rebus tantum finitis vera esse intelligitur. Vide de Universalibus eleganter differentem doctiss. Monlorium in doctrina de Univers.*

COMMENTARIUS.

ENs omne aut universale, aut singulare esse dicimus. Ac universalis quidem vox multis modis dicitur: Vno modo accipitur pro universali in propositione necessaria quatenus distinguitur à propositione contingenti, de omni ac per se: ac definitur apud Aristot. 1. *Post.* cont. 36. quod & de omni sit, & per se, & quatenus ipsum. Alio modo accipitur pro modo, seu nota, denotante aliquam propositionem esse universalem, & pertinet ad lib. de Interp. ac significatur per has dictiones Omnis & Nullus, ut est apud Zabar. 1. Post. ad cont. 81. Tertio usurpatur pro universali in causando, quod plurium causa est, licet de pluribus non prædicetur. Est denique universale in prædicando, cujus causa est natura, ut de multis prædicari possit. Et hoc iterum triplex est: ante multa, in multis, & post multa.

Ante multa sunt vel Ideæ Platonicæ, aut nobis in mentem divina, ad quas Deus respiciens

ens fabricavit ea, quæ in inferioribus hisce sunt De quibus Ideis pluribus egimus Antidoti nostri lib. 2. c. 22. Universale post multa est conceptus in animo positus, collectus ex individuis qui de multis actu prædicari potest. Universale in multis est natura communis in multis individuis, præter animi nostri cogitationem existens, ita ut habeat aptitudinem eam qua in multis esse potest: & hæc ceu fundamentum supponitur universali illi, quod post multa esse dicimus. Ac de hoc universali, quod ultimo loco diximus, tres imprimis difficultates apud Porphyrium sub in initium Prædicab. positæ, sed non solutæ, solvendæ sunt. Prima ea est, num genera & species subsistant extra intellectum? Altera num genera & species sint Entia incorporea an corporea? Tertia, num genera & species sint Entia separata à rebus sensibilibus, an in in solis sensibilibus reperiantur?

Ac de prima quidem dicendum, quod universale duobus modis accipiatur, ut est apud Lamb. in 1. de anim. uno modo pro universali Imperfecto, alio modo pro universali perfecto. Vniversale Imperfectum dicimus, quod est fundamentum perfectæ universalitatis, juxta quod nimirum est aliqua non repugnantia, ut aliquid in multis esse possit. Vniversale vero perfectum huic fundamento addit duplicem relationem: una est relatio naturæ ad intellectum, secundum quam natura dicitur una. Alia relatio est habitudo sive aptitudo, ad plura inferiora, secundum quæ dicitur natura inesse in multis aptitudine. Ac priori quidem modo dubium non est, quin universale sit extra intellectus conceptum. Ex hoc enim fundamento oritur, ut homo homini similior, seu ad homi-

nem

nem propius accedat, quam ad truncum: & hoc sensu procedunt omnia ea argumenta, quæ à Monlorio in doctrina de universis adducuntur. Sin posteriori modo accipiatur uuiversale, sine intellectus conceptu universale perfectum non est ut enim plures homines sub unitate conceptus sint, & hic conceptus unus de plurib. prædicetur, hoc intellectus opus est. Itaque universalitatis fundamentum reale est, hoc enim universale Imperfectum dicebamus: ipsa vero universalitas juxta relationem & unitatem ad plura ab intellectu pendet.

De secunda difficultate dicendum, quod universale possit dupliciter considerari: uno modo abstractivè, alio modo conce tive. Abstractive consideratum universale omnem corporeitatem excludit: est enim universale, si vel maximè in corpore, & cum corpore non sit. Concretivè vero consideratum est in singularibus, & ita quædam universalia incorporea sunt, quædam incorporea videntur. Incorporea ea dicimus, quæ sunt Entium abstractorum: Corporea quæ sunt materialium: ea enim saltem connotativè rationem corporeitatis includunt.

De tertio dicendum, quod universalia separata à singularibus non sint. Idque duplici ratione: uno modo ex parte universalis, quatenus plane tollitur, sublatis omnibus singularibus ut docetur apud Arist. in categ. subst. sublatis substantiis primis nihil manet reliquorum. Alio modo ex parte singularis, quatenus universalia de essentia singularium sunt: nulla vero essentia est separata ab eo cujus est essentia.

Singulare vero hoc dicimus cum Arist. in 3. Metaph. text. 14. quod numero est unum. V-

nûm

num vero numero dicimus è 5. *Metaph.* t. cap. 21. cujus materia eſt una. Duo circa hæc ſingularia dicenda veniunt: Vnum, quodnam ſit hujus ſingularitatis ſeu individuationis principium: alterum, anne aliquod additum ipſi univerſali fiat ſingulare? De priori videtur dubium ob ſententias inter ſe adverſas: ita enim Thomas materiam ſuam ſignatam: Scotus hæcceitatem pro principio ponit, alii ſolam formam nominant. Juxta hoc ſciendum, quod Individua alia ſunt naturæ ſimplicis, expertis omnis materiæ, cujuſmodi ſunt intelligentiæ. Hæ ſeipſis individuantur, quemadmodum ſunt ſeipſis id quod ſunt. Tota vero controverſia eſt de individuis compoſitis & materialibus. Hic jam reſpondendum, quod de individuo tribus modis loqui poſſimus: uno modo juxta productionem: alio modo juxta illationem: tertio modo juxta eſſe. Ac in ratione productionis dicendum, quod eo modo Individuationis principium ſit materia ſignata. Sunt enim in materia ſignata tria materia, quantitas, & diſpoſitiones. Ac materia quidem primum fundamentum eſt ſuſcipiendi diſpoſitiones mediante quantitate: quoad ergo diſpoſitiones ſunt occaſio producendi individuum, diſtinguimus hoc ab illo quoad nos: eaque ratione individuationis principium eſt materia ſignata. Quantum vero ad rationem illationis attinet, juxta quam nimirum hoc individuum diſtinguimus ab illo quoad nos ea ratione dici poteſt aliquo modo principium individuationis eſſe accidentia, juxta quod ſcilicet nos individua non niſi accidentibus ab invicem diſtinguimus. Hinc Porphyrius Iſag. cap. 2. ex accidentibus deſcribit Indi-

 vidua.

vidua: Individua, inquit, nominantur ex eo, quod ex proprietatibus ſuis quidque conſtat, quæ omnes in alio eædem eſſe nullo modo poſſunt. Socratis enim proprietates nunquam in alio eædem eſſe poſſunt. Quantum vero ad eſſe, Individunm poſſumus conſiderare dupliciter: uno modo, quod eſt principale in individuo, & hoc ipſum eſt eſſentia, quam à ſpecie ratione formæ habet: & hoc modo dici poteſt, formam ſeu actum eſſe individui principium, Quod ſi vero eſſe individui, ut totale eſſe habet conſideremus, ita dicemus formam in materia totum eſſe individui facere. Ratio hæc eſſe poteſt: Vniuſcujuſque rei principium hoc eſt, à quo intrinſece conſtituitur. In individvo v. intrinſecum nihil eſt, niſi materia & forma. Ab hiſce ergo adæquate & totaliter individum conſtitui dicemus. Et ab hac ſententia alienus Scotus non eſt: cum enim hæcceitatem ſuam non intelligat quid aliud niſi formam totius, forma vero totius dicatur Eſſe eſſentiæ in abſtracto conſideratum: eſſentia vero concretive & abſtractive conſiderata ſit eadem ſecundum rem, qui dicit eſſentiam individui eſſe conſtitutam in unione materiæ cum forma, idem hæcceitatem ſeu formam totius individuum facere dicit. Vide Zimaram ſolut. contrad. Ar. & Averr. 7. Metaph. contrad. 12. & 2. de anima contrad. 1. & 2.

De ſecundo, quod erat, anne ſingulare differat ab univerſali ratione alicujus additi, de eo etiam diverſæ ſunt ſententiæ, Durandus ſtatuit, idem ſecundum rem eſſe univerſale & ſingulare, ita ut differant, ut indeterminatum & determinatum, determinationem vero facit non ratione alicujus additi, ſed ratione ipſius

rei,

rei, quæ vel indeterminate, vel determinate consideretur. Contra Scotus ut est in 1. *Sent.* dist. 28. & in 2. dist. 3. quæst. 6. statuit, non differe quidem universale & singulare ut rem, interim singulare differe ab universali secundum additum, quod additum vocat aliquam realitatem: quam eandem sententiam tuetur Nicol. de Orbell. in 2. dist. quæst. 1. Hic dicendum, quod duo in quæstione sint: unum, in quo universale & singulare conveniunt, alterum in quo differunt. Ac in eo conveniunt universale & singulare, de quo etiam inter Scotum & Durandum convenit, quod sint eadem res, seu quod eandem essentiam obtineant: non n. per aliud & aliud. *Socrates* est homo & hic homo: sed eadem est essentia hominis & hujus hominis. In eo vero differunt, quod habent se ut indeterminatum & determinatum, quodque illud universale, hoc singulare dicimus. Ac hic dicendum, quod hæc singularis determinatio juxta Scoti sententiam oritur ratione realitatis additæ: ex eo, quia nihil seipso determinatur, sed determinatio est ab alio. Et hoc additum non differt realiter ab universali, sed tantum è natura rei, ita ut dicamus Johannem & Petrum convenire in communi essentia, differre à se invicem ratione realitatis, quæ non est una in utroque.

Ac hæc quidem diversitas in subjectis materialibus seu compositis est: nec de immaterialibus substantiis, & accidentibus controversia minor est, unde eorum sit petenda individuationis ratio. De substantiis enim immaterialibus dicendo primum, Thom. existimat, non haberi propriè individuationis rationem in iis, sed quamlibet substantiam immaterialem ab

alia ſecundum ſpeciem differre, ut docet 1. part. quæſt. 50. artic. 4. hoc eſt, ut explicatur apud Antoninum, non quemadmodum Martinus & Petrus in unitate eſſentiæ conveniunt, ſuppoſitis à ſe invicem differunt, ita Angelus ab Angelo: ſed quemadmodum homo à Leone, ita ſubſtantia immaterialis ab immateriali. Contra Scotus, Durandus, Occam, Biel aliiq; plurimi in 2. d. 3. ſentiunt, quemadmodum in materialibus, ita & in immaterialibus plura ſecundum numerum, in unitate eſſentiæ ſpecificæ convenire. Nos ita ſtatuimus: ſpeciem & individuum eſſe plane idem in immaterialibus, nec per aliquam additam realitatem in iis ſingulare differre à ſpecie, nec ſub una ſpecie plura eſſe individua. Ratio videtur ſufficiens ad eam rem declarandam: quia non ſunt in angelo plura ſecundum quæ eſſentiam ſpeciei à numero differre faciamus: ideoque nec ſecundum rem in Angelis quid eſt, in quo conveniant, & in quo differant. At multiplicatio numeri ſecundum ſpeciei unitatem requirit, ut ſecundum rem ſit quid unum, in quo per realitatem additam multiplicare poſſimus numerum. Et hæc ſententia Thomæ eſt: nec enim adeo veſanus eſt, ut exiſtimet eſſe in generali ſpeciei ratione quemque angelum, non contractum ad ſingularitatem, ſed hoc putat, perfectione ſpecifica quemlibet Angelum ab alio differre, nec plures eandem perfectionem communicare: eo ſane modo quo de cœleſtibus corporibus ſcribit Averr. diſtinct. diſp. Met. 1. corpora cœleſtia non ſunt eâdem ſpecie, plura vero numero, ſed ſunt plura ſpecie, ut individua animalium diverſorum, licet non reperiatur illius ſpecie niſi unum individuum tantum.

De

De Accidentibus item Thomas ejusque Sectatores discrepant ab aliis Doctoribus Scholasticis. Censet enim Thomas, quod numerus accidentium dependeat à subjectis, ita ut Accidens ab Accidente numero differat, eo quod in diverso numero subjecto ab alio est. Verum hæc sententia non placet, nihil enim singulare seu individuum est per hoc quod ipsi est extrinsecum: eo quod non est aliud esse & singulare esse, ideoque per idem res est, & est singularis. Ut itaque per extrinsecum nihil esse potest, ita nec per extrinsecum singularitatem seu numerum obtinere. Itaque dicendum, ut Accidens seipso est, hoc quod est; ita seipso esse unum numero interinsecè. Potest nihilominus reduci ad bonum sensum Thomæ sententia, ut hoc videmus apud Fr. Suarez in doctrina de Individuatione accidentium: Si dicamus, Accidens dupliciter considerari posse: uno modo quoad produci, alio modo quoad esse. Et illo modo à subjecto obtinere rationem singularitatis: eo quod subjectum sit occasio agendi ad producendum hoc Accidens potius, quam aliud. Quoad esse vero non à subjecto dependere accidentis numerum, sed ab intrinseca sibi ratione, per quam ut est, ita & est hoc numero distinctum ab aliis. Seu: quoad nos meteri nos accidentis singularitatem è suppositis, quia dicimus numero differre accidentia, quæ sunt in diversis numero subjectis. Quoad rem: individuum esse à se ipsis petere accidentia. Tantum de unversali & singulari.

CAPUT. XXII.

De Identitate & Distinctione.

I.

IDentitas est vel absoluta, vel relativa.

2. Identitas absoluta est, secundum quam res dicitur eadem sibi ipsi sine ordine & respectu ad aliud.

3. Identitas relativa est, secundum quam res dicitur esse eadem cum re alia, cum qua habet convenientiam.

4. Hæc identitas est vel ratione formæ, vel ratione subjecti.

5. Identitas formæ est vel secundum rem, vel secundum gradum.

6. Identitas formæ secundum rem est earum rerum, quæ eadem forma participant, vel substantiali, vel accidentali.

7. Identitas formæ quoad gradum est, quæ eodem formali conceptu communicant: quomodo homo & Leo non eadem forma, sed eodem formæ gradu conveniunt, verbi gratia, conceptu animalis.

8. Hæc est vel Generica, vel Specifica, vel Proportionalis.

9. Identitas Generica est eorum quæ genere: specifica eorum, quæ specie conveniunt: proportialis eorum, quæ proportione conveniunt.

10. Identitas ratione subjecti est multorum essentia diversorum in uno subjecto convenientia: quomodo sunt unum, materia, & privatio.

11. Diversitas accipitur vel late, vel stricte.

12. Diversitas late accepta definitur apud Arist. 5. Metaph. cap. 9. quod diversa dicantur, quorum

quorum aut species plures, aut materia, aut ratio substantiæ, & omnino diversum dicatur opposite ad id quod idem dicitur.

13. *Diversum vero stricte illud dicimus, secundum quod plura ita se totis distinguuntur, ut nulla in re conveniant.*

14. *His opponuntur differentia: quæ in uno conveniunt, & in alio differunt: ut Leo & homo conveniunt in genere, differunt specie.*

15. *Modi diversitatis gignunt distinctionem. Est vero distinctio plurium inter se differentia.*

16. *Eam alii duplicem faciunt: Distinctionem Rationis, & Realem: quia Ens aliud Rationis aliud Reale. Falso.*

17. *Distinctionem enim non metimur ex natura extremorum, sed ex habitudine extremorum inter se.*

18. *Itaque nobis distinctio est triplicis generis: Distinctio Rationis, è natura Rei, & Realis.*

19. *Sano sensu ad bimembrem divisionem reducimus: ut distinctio rationis subdividatur in distinctionem rationis ratiocinationis, & rationis ratiocinatæ: illa ad distinctionem Rationis simpliciter pertinet, hæc ad distinctionem è natura Rei.*

20. *Distinctio rationis est distinctio facta ab operatione mentis, quomodo dextrum & sinistrum distinguuntur in columna.*

21. *Distinctio e natura rei est vel virtualis, vel formalis, vel modalis.*

22, *Distinctio realis, est, inter rem, & rem.*

23. *Estque vel realis tantum, vel suppositalis, vel essentialis, vel se totis objective, vel se totis subjective. De quibus in Commentariis plenius.*

COMMENTARIVS.

DE Identitate dubitatur, quomodo ab uno distinguitur. Sciendum ergo quod idem accipitur vel fundamentaliter, vel formaliter. Fundamentaliter acceptum idem ab uno diversum nihil est. Verum acceptum formaliter dicimus differre ab uno, non quidem re, sed per additum respectum, quatenus nimirum quod est unum in se, cum respectu quodam dicitur, vel ad se, quod sibi idem sit, vel quoad ad aliud; quoad plura inter se identitatem habent. Est autem Identitas duplex, alia rationis, alia vero rei. Identitas rationis est in iis, in quibus extrema non sunt re ipsâ diversa, sed ea tantum ratione distinguuntur, quia intellectus eodem utitur ut pluribus. Identitas vero rationis, duplex est: una rationis conceptæ, alia rationis factæ. Identitas conceptæ rationis modos realitatis complectitur, quatenus ut sunt ratione, ita idem esse concipiuntur. Identitas rationis factæ est, quando fundamentum reale non est in re, intellectus tamen unum ut plura concipiens relatione facta idem ad seipsum refert. Rei vero identitas triplex est: una secundum formalitatem, alia secundum realitatem, alia secundum numerum. Formalis in iis est, quæ Aristot. eâdem dicit esse substantiâ: hæc enim formaliter & essentialiter unum sunt, ut evolutione tantum definitionis differant, alias per omnia sint eadem. Identitas realis in subordinatis est, hæc enim in re idem esse dicuntur, quoniam sese non habent ut res & res, sed tantum ut ejusdem rei conceptus diversi. Identitas vero numerica in individuis est, & numerica

metica dicitur, quod unum numero sit, numerum non habens.

Distingui vero unum ab altero tribus modis dicitur: 1. Sola ratione: 2. E natura rei. 3. Realiter. Sola ratione distingui ea dicuntur, quæ Thomistæ dicunt distingui ratione ratiocinante, quando scilicet distinctionis fundamentum in re nullum est, sed est distinctio concepta solum & ratione conficta: Scotus in 1. distinct. 2. quæst. 4. vocat differentiam rationis formatam ab intellectu: Ita in iis est; quæ sunt idem, intellectus tamen utitur iis ut pluribus, dicendo verbi gratia idem sibi-ipsi idem est: hic identitas illa simul infert distinctionem, ratione ejus rationis, qua idem ad seipsum refertur, non enim posset referri, nisi esset quadantenus aliqua distinctio, quia relatio semper requirit duo extrema sive secundum rem, sive secundum intellectum distincta, ut docetur apud Averr. 5. Metaphys. cap. 9. in expositione media. Alii hanc dicunt collativam, ut est apud Constant. Sarnanum direct. mihi pag. 4. quia fit solum per actum comparativum intellectus, ut non à re, sed præcisè ab intellectu habeat dependentiam, ut est dextrum & sinistrum in columna.

Ea vero quæ est è natura rei, Thomistis barbare dicitur secundum rationem ratiocinatam distinctio: accipiendo rationem non pro formatione intellectus, sed pro quidditate rei, secundum quod quidditas est objectum intellectus, ut est dicti primi dist. 2. quæst. 4. sect. sed hic restat. Eam triplicem facimus: virtualem, formalem, & Modalem.

Virtualem Scotus vocat illam, quando illud quod habet talem distinctionem, in se

non habet aliquid ut rem & rem, sed est una res habens virtualiter sive eminenter quasi duas realitates, quia utrique realitati, ut est in illa re, competit illud proprium, quod inest realitati, ac si ipsa esset res distincta, ita enim hæc realitas distinguit & illa non distinguit, ac si esset hæc quidem una res, illa vero alia. Ita animam & intellectum differre dicimus, non ponendo rem & rem aliam, sed unius rei quasi duas realitates, est enim emanans quasi ad intellectionem intellectus, & distinctio non est à parte animæ, sed à parte intellectus.

Formalis vero dicitur, quando una res continet duas realitates formaliter extra se invicem positas, ac si essent duæ res, licet in hoc subjecto per identitatem istæ duæ realitates sint una res. Ejus generis illa dicimus, quæ sunt unitivè contenta ut è Dionys. 5. de divinis nominibus vocat subtiliss. Duns in 1. dist. 15. sect. sed quia hæc via. Et sunt in duplici genere, quædam enim sunt de natura continentis, quædam vero sunt contenta in aliquo unitivè, quia sunt quasi passiones continentis, nec non res aliæ ab ipso continente. Ita verbi gratia differunt homo & animal: hic enim est unum formale ut animalis, & aliud formale ut differentiæ, qua genus ad speciem contrahitur, res tamen una est, quia non per aliam rem homo est homo, & per aliam rem animal, sed per aliam & aliam realitatem unius rei. De quibus unitive contentis superius latius diximus.

Modalis dicitur ubi est distinctio non ut rei à re, sed vel rei & modi, vel modi & modi oppositi, vel modi & modi ejusdem rationis. Modus

dus enim non dicit rem, nec Entitatem propriam de se, sed eam cujus est modus. Primo modo modaliter distingui dicitur Deitas & infinitas in Deo, nam modus hic intrinsecus non dicit formalem de se rationem, aliam ab ea cujus est modus: ita existentia distinguitur ab essentia, unde existentia dicitur esse modus additus essentiæ. In oppositis vero notandum, quod uno modo dicuntur oppositi per aliud in quo sunt, & non distinguuntur modaliter tantum, sed pro natura, in qua sunt, rei. Ita enim curvum quod est in manu Johannis distinguitur realiter à curvo, quod est in pede Petri, quia modi distinguuntur & determinantur pro subjectis in quibus insunt: Johannes vero, & Petrus differunt realiter. Alio modo intelliguntur modi non concretive, hoc est, pro ratione subjecti in quo sunt, sed abstractivè quærendo quomodo actus & potentia de se distinguuntur, & dicimus modaliter, quia uterque modus est. Modi vero ejusdem rationis dicuntur, ut modus speciei, & modus in individuo, quærendo verbi gratia quomodo existentia universalis differat ab existentia singulari, & dicendum quod modaliter: nam existentia semper dicit modum.

Realiter differre etiam multis modis dicitur, in iis enim quædam distinguuntur essentialiter, quædam subjecto, quædam se totis objective. Essentialiter differre dicuntur quæ specie differunt, speciei enim alia & alia est essentia, ita homo & Leo, albedo & dulcedo distinguuntur. Subjectis vero differe dicimus, quæ differunt vel ut suppositum à supposito sub specie, vel ut accidens in subjecto seu supposito alio & alio ita Johannes & Paulus differunt realiter

aliter qua aliud est hujus, aliud individuum illius. Albedo vera in pariete, & albedo quæ in lacte est, ut accidens in alio & alio subjecto. Se totis subjective distinguuntur, quæ non conveniunt in aliquo toto potentiali. Hoc vero duobus modis contingit, aut quia id in quo conveniunt proxime est quid unum numero, ut sunt supposita in divinis, cujus simile rei exemplum non datur aliud: aut quia differunt toto genere, cujusmodi sunt opposita, ita corruptibile & incorruptibile differunt se totis subjective, quia in nullo genere communi convenire possunt. Distingui se totis objective dicuntur, quando extrema in nullo conceptu reali quidditativo conveniunt, eo modo ultimas differentias distingui dicimus ex enim quia præcisè dicunt hoc & non aliud, nihil præter se includunt: ita equinitas est tantum equinitas, & humanitas tantum humanitas, & differunt se totis objective, quia nullus reperitur conceptus communis objectivus qui iis respondere possit. Vide Matth. Aquarium in addit. ad 5. Physs. quæst. 3. Fr. Sylv. Ferrar. & Achill. lib. de distinctionibus multa eleganter differentem. Tantum de Identitate & distinctione.

CAPVT. XXIII.

De Simplici & Composito.

I.

Simplex illud dicimus, quod non constat pluribus in quæ resolvatur.

2. *Simplex dicitur vel absolute, vel comparative,*

3. *Simplex absolute, quod compositionis est expers.*

4. *Estque vel summe simplex, vel simpliciter simplex.*

5. *Summè simplex quod nec compositum, nec cum alio componibile: ut Deus.*

6. *Simpliciter simplex, quod non est compositum, potest tamen compositionem cum alio ingredi, ut sunt ultima differentiæ.*

7. *Comparative simplex, quod non requirit tot partes sui, quot requirit aliud. Quomodo Elementa dicuntur corpora simplicia respectu mixtorum.*

8. *Compositum est quod est ex pluribus.*

9. *Compositum est vel compositione Physica, vel Metaphysica. Illud dicimus, quod constat partibus re diversis, ut quod constant materia et forma; hoc quod est partibus ratione solà diversis, ut quod constat genere et differentia. Vide Fons. 3. Metaph. in expl. cap. 3. sub finem.*

COMMENTARIUS.

SImplicis & compositi tractatio unitatem pro fundamento ponit, quatenus nimirum unum vel est indivisum & indivisibile, & ita simplex dicit, vel est unum indivisum quidem actu, divisibile tamen in potentia, quomodo fit unum compositum, & eâ ratione divisio Entis in simplex & compositum proprie ad divisionem Entis secundum affectionem unius reducitur.

Ac de simplici quidem dicendum primum: sciendum, quod simplex non uno modo dicitur. Est enim unum simplex summum, & est unum simplex imum: illud Deus est, nullius omnino indigens, hoc materia prima, ut sunt verba Scalig. exerc. 140. reliqua quæ hæc inter sunt, composita sunt: ab infima quidem simplicitate respectu potentiæ aliquid de actu parti-

ticipando, ratione supremi actûs descendendo ad inferiora, ac de potentia participando. Ac inde aliquid dicitur simplex simpliciter, aliud simplex respectivè: illud dicimus, quod absolutè, & in se consideratum omnem compositionem excludit, & est à parte superiori Deus, à parte inferiori materia prima. Simplex verò respectivè hoc dicimus, quod in se quidem est compositum, simplex tamen dicitur respectu ejus, quod majorem compositionem includit. Ita elementa quæ de se composita sunt, simplicia dicuntur, respectu eorum corporum, in quorum mistionem ingrediuntur: & Angeli simplices dicuntur, per exclusionem materiæ ejus, quam in se nullam habent: respectu tamen Dei ab omni omnino compositione absoluti non sunt.

Sex ferè modis fit compositio: 1. Ex materia & forma. 2. E partibus quantitativis. 3. E natura & supposito. 4. E subjecto & accidente. 5. Ex esse & essentia, & 6. è genere & differentia. Vide August. Niphum Sueff. ad disp. 5. Metaph. destruct. Averr. pag. 173. Ac prima quidem compositio, quæ est è materia & forma, facit aliquod compositum tertium ab his, è quibus componitur, idque compositum per se unum. Secunda compositio non facit aliquid à se re distinctum: fit enim è partibus quantitativis in conjunctione consideratis non nisi materia, unde & partes materiales dicuntur, materia verò re ipsa à se non differt. Tertia compositio per mysterium incarnationis nobis innotuit: cùm enim facta sit incarnatio non in essentia, sed in persona, distinctum quid esse personam ab essentia, & consequenter suppositum à natura consequitur. Ac dicimus naturam

turam secundùm quod res est in esse definitionis, suppositum vero juxta quod res est sub ultima actualitate, quam subsistendi modum dicimus. Quarta compositio rerum creatarum est: nihil enim est è creaturis, quod absolutum sit à modo relationis secundum creationem & dependentiam: unde nec ab omni compositione subjecti & accidentis absolutum dicendum fuerit. Ac ea compositio non facit unum per se, sed unum per accidens. Quinta compositio, quæ ex esse & essentia est, eam dicimus, quando dicimus non esse simpliciter idem re essentiam & existentiam. Unus Deus se ipso est & hoc quod est, & hoc quo est: omnia vero reliqua & sunt, & hoc quod sunt, & sunt ab alio, ut extra hoc ipsum sint, hoc quod sunt, illud essentiam, hoc existentiam dicimus. Sexta compositio secundum genus & differentiam ea est, juxta quam rem concipimus, ut commune magis & differens ab aliis: concipitur enim quidque sub genere, ut communiori, & differentia, quæ communionem generis ad certas speciei angustias restringit. Ac hi fere omnes compositionis modi sunt: is enim qui dicitur esse ex actu & potentia per omnes hosce sese diffundit, quoad in iis aliquid notari potest, ut determinabile & determinans, & habet sese compositio ex actu & potentia in primo & tertio modo, ut realiter differat potentia ab actu, in reliquis ut ratione. Vide sex modos quibus quæritur an sit compositio in Deo, apud August. Niphum Suess. ad disputat. Metaph. 8. destruct. Averr. pag. 235. Ac tantum de Simplici & Composito.

CAPUT

CAPUT XXIV.

De Toto & Partibus.

I.

RAtionem compositionis insequitur Totum & Pars.

2. *Totum est, quod habet partes.*

3. *Totum est vel actu, vel potentiâ.*

4. *Totum actu est, quod formaliter in se continet partes, è quibus est.*

5. *Ejusmodi est vel proprie, vel improprie dictum.*

6. *Illud Totum Essentiale, & Integrale: hoc Totum perfectum.*

7. *Totum potentiâ quod partes suas non complectitur actu, sed tamen ratione ordinis ejus, qui est inter illud ut unum, & plura ea quâ partis rationem sustinent, totum dici solet.*

8. *Ejusmodi est totum Universale, & potestativum.*

9. *Toti respondent partes, multiplicatæ ad multiplicationem totius.*

COMMENTARIUS.

TOtum & Pars non uno modo dicuntur, ut patet ex Aristot. in 5. Metaphys. cap. 25. & 26. Thom. 1. par. quæst. 8. art 3. ad 3. qu. 26. art. 8. quæst. 77. artic. 1. ad 1. 3. part. qu. 90. ad 2. Ferr. 1. phys. quæst. 5. ad eum Matth. Aquar. Fons. 5. Metaph. cap. 25. 26. Piccol. 1. Phys. contr. 4. Est enim totum perfectionis, est totum potestativum, est totum universale, est totum essentiale, est totum integrale, est & totum per accidens, quibus singulis suæ respondent partes.

1. Est totum perfectionis totum improprie ac-

acceptum, prout perfectum quoque dicimus. Possumus autem totalitatem hanc metiri è quantitate virtutis, juxta quam Biel dicit in 1. dist. 19. quæst. 1. art. 1. not. 1. ex Aug. in 6. de Trinit. quod in iis, quæ mole magna non sunt, est idem melius esse, quod majus esse: & Scotus quodl. quæst. 5. tam in finitis, quam infinitis quantitatem agnoscit, quando primam Entis divisionem ponit hanc, quod omne Ens vel est quantum, vel non quantum. Unde consequitur, quod hoc totum perfectionis recte juxta quosdam dicitur, vel nullo modo in ordine ad partes, vel ad partes rationis, ut vult Armandus de Bello visu tract. 2. cap 257. quatenus pro inadæquato nostro conceptu, non tamen falso, metimur ex perfectionibus à nobis acceptis aliquatenus ipsam Dei perfectionem. Ita de Deo scribit Aug. Niphus Suessanus disput. Metaph. 3. destruct. Averr. pag. 93. licet Deus sit simplex, esse tamen multum in virtute & perfectione. Verba sunt: Deus non est agens simplex, sed multiplex, quoniam, licet ipsum in se sit unum in esse, & summe simplex in esse: est tamen multum in virtute & perfectione. In creatis vero Entibus potentiam & actum, esse & essentiam & actum, esse & essentiam agnoscimus. Ita docuit Averr. 1. de cœl. comm. 3. totum & perfectum esse idem, differre subjecto: Totum, inquit, & omne & perfectum significant idem, & non diversantur secundum formam, sed secundum materiam. Subjectum enim istius rei, si fuerit quantitas discreta, dicitur omne: & si quantitas continua, dicitur totum: & si in formam, & qualitatibus dicitur perfectum.

2. Totum potestativum est, quod habet ordinem

dinem ad plures res, quæ ab ipſo emanant. Ac ita poteſt eſſe res in ſe & ſua natura omnino ſimplex, quæ tamen quoniam plures obtinet operationes, ratione quarum in ea facultates ſeu partes plures notare poſſumus, inde multiplicitatem aliquam de facultatum principio communi concipimus, ejuſque poteſtates plures ſimul cum ipſo principio collectas, totum hoc quop poteſtativum nominamus conſtituere dicimus. Cujus generis ſunt omnia ea, quæ ſecundum Dionyſ. cap. 5. de div. nominibus, apud ſubtiliſ. Johan. Duns in 2. diſtin. 15. qu. 2. ſect. Sed quia hæc via, Continentiam unitivam quaſi inferiora habere dicuntur. Hoc genere partium docuit Ariſtot. 1. Eth. cap. 13. & 6. Eth. cap. 2. duas eſſe animæ pates, alteram rationis capacem, alteram expertem. Et ſubjungit: nunc vero eodem modo rationis capax dividenda eſt, ſtatuantúrque duæ eſſe partes ratione præditæ: una, qua ejuſmodi res contemplamur, quarum principia aliter ſe habere non poſſunt: altera qua ea conſideramus, quæ aliter eſſe poſſunt. Ita Scalig. etiam de Plantis pag. 40. animam dicit eſſe ſimplicem, multiplicem, multipliciter. Simplicem ſubſtantiâ multiplicem poteſtate, multipliciter objectorum cognitione: hoc eſt, quod etſi quoad eſſentiam ſit ſimpliciſſima excluſis partibus quoquo modo componentibus, pro facultatum tamen multitudine, ut ſunt v. g. intellectus & voluntas, multiplicem aliquam rationem induat, & juxta eam totius naturam aſſumat. Ac poteſt huius denominationis ratio peti ex Ariſt. 1. Met. tex. 3, Ibi enim totum dicitur omne illud, quod continet contenta, ut unum quid illa ſint. Facultates ergo eæ cum contine-

antur

antur in virtute sui principii & unitatem quandam inter se habeant in essentia illa, cum qua & unum sunt, possunt eâ ratione totalitatem aliquam facere alicuius quasi totius, improprie scilicet dicti, totius potestativi.

3. Totum Universale est, quod habet partes subiectivas de quibus potest prædicari. Juxta quod sciendum est, quod totius universalis modus considerandi duplex est: unus absolutus, alter vero respectivus, ut post Thom. de Ente & Ess. notavit Franc. Sylvester. Ferrar. 1. Phys. qu 3. & Fons. 1. Metaph. c. 2. q. 2. Ubi dicitur duplicem esse cognitionem rei universalis, alteram ut totius essentialis, alteram ut totius universalis. Ac illo modo non differt à toto essentiali, & dicitur juxta eas partes, quas in sese actu habet. Totum vero universale proprie dicitur juxta eas partes, non quas habet actu, sed quas in sese habet potestate. De ea universalis potestate elegantissima Ant. Scayn. verba sunt ad Isagog. Porphyrii in cap. de differentia. notandum, inquit, quod species à genere obtineat differentias: quatenus existente genere ut materia, in ipsa potentia specierum omnes differentiæ continentur. Et Scal. in 7. de plantis pag. 74 nos in ipso genere, dicimus esse differentiam passive: non quod specie differentiam genus exhibeat, sed quia recipere potest eam. Et secundùm Joh. Versoris 5. Metaph. quæst. 13. Pars subiectiva totius universalis non dicitur integrale secundum actum, aut ejus substantiam, sed ex hujusmodi partibus potestate ejus constitui. Itaque proprie Universale hoc totum illud est, quod sub se plura habet, quibus æque suam essentiam communicat. Ac de iis ipsis potest prædicari ea ratione.

4. Totum

4. Totum essentiale hoc est, quod constat ex suis partibus intrinsecis essentiam immediate componentibus. Ac hoc totum juxta duplicem compositionem duplex est: Aliud enim Metaphysicum dicimus, aliud vero Physicum. Ac Metaphysicum illud dicimus, quod componitur è partibus essentiæ sola ratione inter se diversis, quomodo definitio ex genere & differentia est. Physicum vero illud est, quod constat ex partibus essentiæ re inter se diversis, materia nempe & forma, quomodo homo Physicè componitur ex partibus sibi essentialibus re inter se diversis, corpore & anima rationali.

5. Totum integrale dicimus, quod divisum est juxta partes quantitatem habentes: quomodo verbi gratia dividitur homo juxta caput, brachia & pedes.

6. Totum per accidens est quod constat è pluribus, sed tamen iis, quæ ad unum quid per se, sed ad idem esse constituendum non concurrunt: quale fit è subjecto & accidens, item in aggregatis. Vide quæ supra de Uno per accidens diximus.

Diversis Totius generibus diversi modi partium respondent. Totum enim perfectionis dicitur esse integrum Metaphysicum, quatenus consideramus plures perfectiones unius ejusdemque, quæ quidem si vel maximè in Deo idem simpliciter sunt, ratione summæ simplicitatis ejus, quæ in Deo est: pro conceptibus tamen diversis à nobis ponuntur pro partibus, quæ in ipso Deo partes non sunt. Partes vero potestativæ dicuntur plures eæ potestates seu facultates, ratione quarum totum illud potestativum dicitur. Ac quoniam improprie partes dicuntur, totum inde etiam impropriè dicimus

mus. Toti universali respondent partes subjectivæ, quæ aliàs partes dicuntur ex eo, quoniam non pro ratione multiplicationis materiæ, sed pro ratione multiplicabili ipsius essentiæ, quæ in forma priori modo consistit, partes subjectivæ multiplicantur. Toti essentiali respondent partes essentiales; composito Physico partes Physicæ reales, composito Metaphysico partes rationis. Toti integrali partes integrantes respondent: quæ in inanimato semper similares sunt; eo quod operationes inanimatarum rerum pauciores sunt, quam ut in iis pluribus egeant ad plures operationes obeundas. In animatis vero rebus notantur partas aliæ quidem similares seu homogeneæ, quarum quælibet naturam & definitionem totius communicat; quælibet enim pars sanguinis est sanguis: quædam vero dissimilares seu heterogeneæ sunt, quæ diversum nomen & definitionem diversam ab ipso toto habent. Ac eæ sunt juxta quas Aristot. in 2. de anima tex. 6. animam definit, actum corporis organici Physici: esse enim organicum illud dicimus, quod plura organa seu instrumenta habet, ratione quorum plures expedire & exercere operationes possit. Ac ea organa animatorum partes dicimus integrantes, ratione extensionis ejus, juxta quam partes illæ situ & figura sunt distinctæ. De his diversis partium modis & generibus egimus Antidoti nostri lib. 2. cap. 2. seq. fusius. Vide de Toto actu & Potestate Piccol. 1. Phys. ad cont. 4. Ac tantum de Toto & Partibus.



CAPUT XXV.

De Naturali & Artificiali.

I.

Ratione Veri Ens, est vel Supernaturale, vel Naturale, vel Artificiale.

2. *Supernaturale est quod naturæ vires excedit.*

3. *Naturale illud dicimus, cujus veritas secundùm ordinariam Dei potestatem pendet ab intellectu divino.*

4. *Artificiale cuius veritas áb intellectu humano dependet.*

COMMENTARIUS.

EA quæ supra naturam sunt, cœlesti spiritu de eis fidem faciente, quando neque sensuum captu, neque mentis agitatu comprehendi queunt, cum hac ipsa rerum inferiorum humilitate commiscenda non sunt, docet Scal. 6. Poët. cap 4. Hæc itaque ut præsenti instituto altiora in præsenti non tractabimus: sed tantum de Naturali & Artificiali agemus.

Rem aliam esse Naturalem, aliam Artificialem, non potest aliqua scientia in parte considerare. Etsi enim Arist. in doctrina scientiæ Physicæ recenseat aliquo modo differentiam inter rem naturalem & artificialem, Metaphysica tamen proprie ipsum fundamentum naturalis & artificialis sibi adscribit. Itaque dicimus prout res diversimodè obtinet suam veritatem relata ad prototypum suum, intellectum scilicet vel divinum, vel humanum, ea ratione dici vel naturalem vel artificialem. Hoc ipsum elegantissime declaravit Fr. Sylvester Ferrar. in 3. de anim. quæst. 19. his verbis; Licet res natu-

naturales in ordine & ad intellectum divinum, & ad intellectum humanum dicantur veræ: dicuntur tamen principaliùs veræ per comparationem ad intellectum divinum, à quo procedunt & cujus Ideis assimilantur & conformantur, quam in ordine ad intellectum humanum. Sic & res artificiales dicuntur primo quidem veræ in quantum formæ existenti in mente artificis assimilantur: secundario vero in comparatione ad intellectum humanum, à quo non procedunt, sed tantum in quantum sibi intellectum adæquare possunt.

Differunt vero res naturales & artificiales multis inter se modis, ut hoc ipsum declaravit Perer. in 7. Phys. cap.2.1. Ratione denominationis, quia rei artificialis denominatio extrinseca est, naturalis vero intrinseca. 2. Quia artificialis cum agente convenit, non secundum esse sed secundum Ideam. Naturalis & secundum esse, & secundum formam. 3. Quia omnes partes rei naturalis à natura sunt: artificialis principia supponit in natura, introducit tantum formam. 4. Artificialis est in subjecto completo, 5. Artificialis res est determinata secundum formam & speciem, contingens secundùm productionem: res naturalis utroque modo determinata. 6. Formæ artificiales extrinsecæ sunt, naturalis est intrinseca. 7. Materia prima habet potestatem & inclinationem ad formas naturales, non ad formas artificiales. 8. Res naturales habent in se principium internum motûs vel activum, vel passivum, vel utrumque: artificiales vero ex se motum non habent, nisi eum quem à naturalibus capiunt. Vide ipsum illustrantem hæc exemplis. Vide de Arte & Natura Piccol. grad. 5. Moral.

CA-

CAPUT XXVI.

De Perfecto & Imperfecto.

I.

BOnum sequitur Perfectum, & Imperfectum; Completum et Incompletum.

2. *Perfectum illud dicimus, quod à bono non deficit.*

3. *Perfectum est vel simpliciter vel in suo genere. Vide Cajetan. de ente et ess. q. 1. art. 4.*

4. *Perfectum simpliciter illud est, quod in unoquoque melius est esse ipsum, quàm non ipsum. Vide Suessan. in destr. Averr. disp. Metaph. 11. (in pag. 273. et Cajet. de ent. et ess. ad cap. 2. in com. post. q. 3. et quæst. 3. art. 1.*

5. *Perfectum in suo genere est, quod deficit in nullo eorum, quæ ipsi debentur.*

6. *Imperfectum illud est, quod à debita sibi perfectione deficit.*

COMMENTARIUS.

INter divisiones quæ sequuntur affectionem Bonum prima esse videtur, qua dicimus aliud Ens esse perfectum, aliud imperfectum. Perfectum multis modis dicitur.

1. Est perfectum perfectione prima & perfectione secunda ut docetur apud Scotum in prol. Metaph. & Tattar. 2. Eth. quæst. 1. Perfectum perfectione prima illud dicitur, quod habet omnia pertinentia ad primum esse rei, ut ille homo dicitur esse perfectus perfectione prima, qui habet omnia raquisita ad esse ipsius hominis. Perfectum perfectione secunda quod habet omnia pertinentia ad secundũ esse rei, seu ad esse actuale. Hoc docuit etiam Averroes destruct. disp. 6. pag. 190. Perfectum, inquit, duplex est; perfectum in se, & perfectum attributis

tributis tribuentibus ei perfectionem, & illa attributa necesse est, ut sint perfecta in se. Ac perfectio prior est per modum formæ & habitûs: posterior per modum operationis. Ita perfectum esse cujusque rei juxta quod definitur per perfectionem primam est, ut esse hominis in animalitate & rationalitate. Perfectionem verò secundam res obtinet per ea, quæ esse constitutum consequuntur: ita ratiocinari, Velle, de hominis perfectione secundâ esse dicuntur. Perfectio verò secunda iterum duplex est: una intrinseca, alia extrinseca. Intrinseca ea dicitur, quæ recipitur in perfectibili. Ita homo doctus perfectus dicitur perfectione secundâ, quia beneficio ejus habitus in rebus cognoscendis procedere potest, quæ intellectûs perfectio est. Perfectio extrinseca ea est, quæ non recipitur in perfectibili, verùm perfectibile per operationem eam attingit: ita homo perficitur objecto quatenus perfectior notitia est, quæ in perfectiori objecto terminatur. Ita homo perficitur cognoscendo Deum perfectione secundâ extrinsecâ.

Eo sensu Cajet. de ent. & ess. cap. 5. & Thom. 1. pag. quæst. 6. art. 3. ponit triplicem perfectionem: primam, secundum quam res in proprio esse substantiali ponitur. Secundum, juxta quam ad proprias operationes perfecte potest exire. Tertiam secundùm quam cum suo fine conjungitur.

2. Dicitur etiam perfectio simpliciter, & perfectio in proprio genere. Illa dupliciter accipitur, ut docet Guilhel. Ockam. 1. senten. dist. 2. quæst. 3. ad 12. & Gabr. in 3. distinct. 1. quæst. 1. art. 3. dub. 2. Uno modo proprie pro re perfecta, quæ nullam imperfectionem

essentialiter includit, & necessario nullam imperfectionem annexam habet, ut est essentia divina. Alio modo perfectio simpliciter dicitur large & improprie pro omni conceptu, ad quem consequentia formali non sequitur illud esse imperfectum, de quo vere prædicatur. Eo modo intelligitur definitio Anshelmi Monol. 15. quod perfectio simpliciter sit, quæ in unoquoque melior est ipsa, quam non ipsa, hoc est, quod ad ejus positionem non sequatur imperfectio, semper vero ad negationem ejus imperfectio sequatur. Ita quod aliquid dicitur sapiens esse, non sequitur imperfectio: cui vero repugnat esse sapiens ad hoc simpliciter sequitur, quod sit imperfectum. Vide Cajet. de Ent. & Ess. ad cap. 2. Sed & hic sciendum, ut subtilissime annotavit subtiliss. Duns quodl. q. 1. art. 1. sect. de tertio vocabulo, quod aliud sit dicere aliquid esse perfectionem simpliciter, & aliud sit aliquid esse perfectionis simpliciter. Primum importat, quod illud essentialiter sive quidditative sit perfectio simpliciter. Secundum importat non quod essentialiter sit perfectio, sed quod tale denominativè soli perfectioni simpliciter conveniat. Ipsum ergo perfectionis simpliciter est, quam requirit in illo de quo prædicatur denominative, & quam ostendit sibi inesse, utpote quam universaliter consequitur: & sic est perfectionis simpliciter triplici modo, scilicet præexigendo, ostendendo, sive manifestando, & perfectionem simpliciter consequendo. Ita divina essentia dicitur perfectio simpliciter, secundùm quod in quodlib. quæst. 5. artic. 1. disputat. quod Ens infinitum ita perfectum sit, ut nec ipsi, nec alicui ejus desit aliquid. Perfectiones verò simpliciter dicuntur

cantur prædicata denominativa, quę super hanc fundantur, ut sunt relationes: eæ enim non dicuntur perfectiones simpliciter formaliter dicendo, sed supponunt pro eo, quod formaliter dicat perfectionem simpliciter.

Ac quum alia ratione perfectum tribus modis potissimum dicatur: Uno modo secundùm quantitatem extensivam, alio modo secundùm quantitatem virtutis, & tertio modo in ordine ad finem: in quolibet horum modorum notare possumus, quod aliud sit perfectum simpliciter, vel perfectum in suo genere. Ac secundùm quantitatem quidem extensivam perfectum simpliciter dicimus hoc, extra quod non licet particulam ullam quanti accipere. Quomodo perfectum secundum quantitatem extensivam dicimus esse infinitum, quod actu in quantitate concipimus, ut docetur apud Scotum in quodl. quæst. 5. prout actu comprehenditur aliquod quantum, nullis omninò terminis circumscriptum. Perfectum verò secundùm quid in quantitate extensiva hoc, quod habet quantitatem, quæ est conveniens rei naturaliter secundùm speciem productæ: ita hominem perfectum dicimus secundùm hanc quantitatem, quando nec ad Pygmæi, nec ad Gigantis staturam accedit, sed staturam habet sibi debitam. Perfectum simpliciter secundùm vertutem hoc dicimus, quod in sese omnes perfectiones omnis gradus tenet: quomodo solus Deus perfectus est, eò quod omnes in se virtutis & perfectionis gradus habet. In suo vero genere perfectum secundùm virtutem hoc dicimus, quod habet perfectionem sibi debitam. Quomodo quodque in suo genere perfectum dicimus secundnm virtutem, quando in nullo eorum, quæ sibi debentur

tur, deficit. Perfectum vero secundùm finem simpliciter dicimus hoc, quod habet omnes dispositiones, ad finem acquirendum requisitas, quomodo hominem sanum perfectè dicimus suum posse assequi finem, & hominem doctum suo satisfacere posse officio statuimus. Perfectum vero secundùm quid, qui quidem finem suum assequi potest, sed tamen ut in aliquibus deficiat, ut in ægroto & indocto videre est.

Subiungam hîc elegantissimum locum Zimaræ in solut contrad. Aristot. & Averr. 12. Metaph. contrad. 101. plurimum enim facit ad huius doctrinæ illustrationem. Debet scire, inquit, quod solum unum est ens simpliciter perfectum, in quo est tota perfectio possibilis reperiri in habitu entis: & istud est solus Deus, sicut scribit Commen. 5. Metaph. com. 21. & tale verius dicitur essentia, quàm ens, cum sit ens per essentiam. Alia verò sunt entia per participationem, sicut scribit Commen. 2. Metaph. com. 4. & 12. Metaph. comm. 51. omnia autem entia citra primum deficiunt aliquo gradu perfectionis possibilis reperiri in habitu entis, quia omnia emanant à primo eo modo, quo apta sunt emanare: nullum autem ens aptum natum est emanare à primo in æquali gradu perfectionis primi, cum impossibile sit dari duo prima æque perfecta in genere entium, quorum unum sit ab alio, imò nullo modo, sicut ostendit Philosophus 12. Metaph. ad finem, & etiam pulchre deducit Scotus in 1. sent. d. 2. q. 3. Ita ille. Vide eundem in solut. contrad. 2. de cœlo contrad. & conter.

Imperfectum verò duobus etiam modis dicitur: aut negative, aut privative. Imperfectum negative hoc dicimus, quod in nulla specie vel re-

perititur, vel existit, ut sunt verba Scalig. exerc. 106. s. 2. Eiusmodi vero imperfectum nullum est: quia omne quod est, eo ipso quo est, etiam bonum est. Ergò & perfectum. Imperfectum vero privative dicimus, quod secundùm aliquid eorum quæ ipsi debentur deficit: quomodo imperfectum dicimus, quod mutilum est, eo quod non habet omnes partes eas, quæ speciei debentur. Est & imperfectum Comparative, quod alterius tantum respectu Imperfectum dicitur, cujus respectu minorem perfectionem obtinet. Vide Scalig. exerc. 140.

CAPUT XXVII.

De Completo & Incompleto.

I.

ENs completum dicimus, quod ad ulteriorem perfectionem ordinatum non est.

2. *Estque absolute completum, vel comparative.*

3. *Absolute completum est, quod ultimam perfectionem in suo genere tantùm habet, ut ad alterius constitutionem ordinatum non sit.*

4. *Comparative, quod in suo genere tametsi sit completum, non tamen repugnat ingredi in alterius constitutionem, ut sunt elementa.*

5. *Incompletum quod ordinatum ad aliud separatim subsistere nequit, nisi sit cum eo ad quod ordinatur, ut materia, forma, differentia.*

COMMENTARIVS.

CUm Entium quædam sint, quæ de se, & ex se completam perfectionem habent, quædam vero Entia completa non sint de se, sed tantum ad alia Entia ordinentur: illa completa, hæc vero incompleta dicuntur. Ac de completis quidem dubium non est, quin in iis ip-

ſis bonum ſit, quoniam entia perfecta ſunt, bonum vero & perfectum convertitur. De Incompletis dubium eſt, anne & ea ipſa bonitatem participent, cum non videantur in perfecto entium gradu conſtituta. Hîc primùm dicendum, quot genera incompletorum entium ſint. 2. Quomodo ad completa entia ſe habeant? Hinc enim notum erit, quæ ipſis aſſignanda bonitas ſit.

De primo dicendum, quod completa Entia ſunt in duplici differentia: quædam ſunt incompleta Phyſice, quædam Metaphyſice. Phyſice incompleta ea dicuntur, quæ de ſe & ex ſe non ſunt, niſi quod ſunt ordinata ad realem conſtitutionem aliorum Entium. Ejuſmodi Entia materiam & formam dicimus: quorum illud (materiam dico) Thom. ita incompletum eſſe exiſtimat, ut nec per divinam poteſtatem à forma materia ſeparatim exiſtere poſſit: & de hac (forma ſcilicet) certum eſt, quod cum ſit actus reſpectivus, de ſe non ſit proprie Ens, niſi quia Entis eſt; hoc eſt, qua mediante actu in materia compoſitum facit. Metaphyſice vero incompleta ea dicimus, quæ de ſe in prædicamentorum gradibus non ſunt, tantum ad prædicamenta reducuntur, in quibus completa ea entia ſunt, ad quæ dicuntur. Ejuſmodi ens incompletum differentiam dicimus. Differentias enim non dicimus eſſe in prædicamentis, ſed prædicamentis collaterales.

De ſecundo, quomodo ſcilicet ad entia completa ſeſe habeant, dicendum, quod cùm Entia completa per ſe ſubſiſtant, entia incompleta non niſi in completis exiſtere poſſunt. Ratio certa eſt: cùm enim finis eorum ſit, ut ex iis completa entia ſint, hunc finem ſuum tum demum

num absolvisse dicuntur, quando in entium constitutionem veniunt.

Hinc tertiò patet: quod cum sint in aliis, & in eorum constitutionem ingrediantur, eo verò modo principium quidque est, quo est, sunt enim principia actus suorum principiatorum, entia incompleta duplicem notionem obtineant: Unam ut sint, aliam ut aliorum sint, duplicem etiam bonitatem ejusmodi entia obtineant, alteram secundum actum Entitativum seu præsentiæ, quæ enim sunt, etiam bona sunt, ens enim & bonum convertuntur: alteram verò respectivam, qua ad aliud ordinantur, hoc enim ipsis bonum est esse in alio, quod per se bonum est, & assequi finem suum, in alia re constituenda, omnino bonitatem infert, cum omnis finis pro fundamento bonum supponat. Tantùm de Completo & Incompleto.

CAPUT XXVIII.

DE SUBSTANTIA.

I.

Divisio Entis secundum quidditates, est divisio eius in decem suprema genera.

2. *Ea sunt: Substantia, Quantitas, Qualitas, Relatio, Actio, Paßio, Quando, Ubi, Situs, Habitus.*

3. *Eorum primum est substantia, reliqua omnia accidentia.*

4. *Substantia est Ens per se subsistens.*

5. *Ea consideratur in speciebus & proprietatibus.*

6. *Species desumuntur, vel è diversis gradibus (species impropriè dictæ:) vel è rebus.*

7. *E gradu substantia, vel est Universalis, vel Singularis; illa secunda, hæc si completa est pri-*

ma dicitur apud Arist. in Logicis Categ. cap. de subst.

8. Substantia Universalis est substantia, cui non repugnat in esse pluribus sibi subjectis particularibus, quibus totum suum esse largitur, nec ab iis separatim existit.

9. Substantia singularis est substantia pluribus sibi subjectis incommunicabilis.

10. Substantia est incommunicabilis, vel tantùm in Quod, vel in Quod & Quo simul.

11. Substantia incommunicabilis in Quod tantùm, est substantia incommunicabilis alicui tanquam inferiori, sed quæ tamen nata est esse in alio tanquam pars, ut anima rationalis Iohannis. Ea dicitur substantia Incompleta.

12. Incompleta substantia est pars, vel realis, vel rationis.

13. Pars realis, quæ realem compositionem infert supposito, ut materia & forma.

14. Pars rationis est, quæ conjuncta cum alio compositionem rationis infert supposito, ut Differentia.

15. Substantia incommunicabilis ut Quod & Quo est Suppositum.

16. Suppositum est Ens completum non constitutens aliquod unum, nec natum inhærere, nec ab alio substentatum Gabr. in 3. d. 1. q. 1. art. 1.

17. Estque vel suppositum tantum, ut est suppositum naturæ non intellectualis: vel persona.

18. Persona est intellectualis naturæ [illegible]municabilis existentia, è Richard 2. de Trin. cap. 22. Scotus in 1. d. 23 q. un sect. ad quæstionem respondeo.

19. E rebus, substantia vel est Deus, vel Creatura.

20. Deus est substantia intellectualis infinita in-

independens, à qua, in qua, & per quam sunt, vivunt, & moventur.

21. *Creatura est substantia à Deo dependens.*

22. *Estque vel Spiritus, vel Corpus.*

23. *Spiritus est substantia creata expers corporis.*

24. *Corpus est substantia constans materiâ & formâ.*

25. *Proprietates substantiæ sunt. 1. Univoce dici. 2. Esse hoc aliquid. 3. Non esse in subjecto. 4. Non habere contrarium. 5. Suscipere magis & minus. 6. Eandem numero permanentem recipere posse contraria. Arist. in Categ. cap. de Sub.*

COMMENTARIUS.

TAmetsi multa de substantia dici possunt, hoc temen loco pauca hæc tantum movebimus.

1. Substantia à substando aliis dicta, quod substet accidentibus, non potest nisi substantiæ creatæ tribui: hæc enim accidentibus substat, in Deum vero accidentia non cadunt. Substantia aliis à subsistendo dicta, Deo etiam convenit, cui omnium maximè convenit per se subsistere: unde & à quibusdam ὑπερουσία potius, quàm οὐσία dicitur.

Subsistere vero dicitur duobus modis, ut docet Gabriel in 3. d. 1. quæst. 1. vel enim denotat subsistentiam hypostaticam, quæ suppositorum propria est: & ea tametsi substantiæ communis non est, sed tantum substantiæ singulari completæ seu supposito propria est. Alio modo subsistere denotat idem quod existere, & est actu positum esse extra suas causas, [illegible] do subsistentia communis substantiæ & acci-

dentibus est. Verum diversitas in eo est, quod substantiæ per se subsistunt sine ordine ad subjectum: accidentia vero inexistunt, seu existunt in alio tanquam in subjecto.

2. Quum vero substantiæ aliæ primæ sint, aliæ secundæ: illæ dicuntur substantiæ individuæ & singulæ, hæ substantiæ universales. De substantiis vero primis dixit Aristot. in Categ. cap. 6. quod propriè & principaliter, & maxime substantiæ dicantur. Nam substantiarum inter se & cum accidentibus quadruplex fieri potest comparatio: Prima est Comparatio substantiarum primarum cum secundis & cum accidentibus, & hoc modo substantiæ primæ propriè substantiæ dicuntur, quia sublatis substantiis primis nihil manet aliorum: sublato enim Petro verbi gratia simul tollitur, quæ in eo est humanitas, animalitas, & accidentia quæ in eo sunt omnia. Altera est; Substantiarum secundarum inter se, ut specierum cum generibus: qua collatione facta species potius substantiæ nomen merentur, quàm genera: eæ enim substantiis primis sunt propiores quam genera. Tertia est: Collatio specierum inter se, & primarum substantiarum inter se: & hâc comparatione factâ ex æquo nomen substantiæ participant species ejusdem generis, & ejusdem speciei Individua. Quarta est; Comparatio secundarum substantiarum cum accidentibus: quâ comparatione facta secundæ substantiæ dici merentur substantiæ & non accidentia: nam & ea accidentibus subjiciuntur, eaque sustentant, ut affectiones de iis tanquam de subjectis primis demonstrari possint: & quando de substantiis primis dicuntur, prædicantur essentialiter & à priori, earumque naturam & essentiam in defi-

nitione

nitione declarant; accidentia vero tametsi & ipsa de primis substantiis dicuntur, non tamen prædicantur essentialiter à priori, sed vel à posteriori, vel contingenter conveniunt. Hinc vero intelligitur, quomodo cum dictis conveniat ea proprietas Aristotelis, qua docet, substantiam non habere magis & minus. Nam una substantia magis, alia minus est substantia si diversi earum gradus inter se conferantur; verum substantiæ secundum eundem gradum consideratæ magis & minus non habent. Hoc docuit Averr. in Categ. cap. diff. 13. substantiæ quidem, inquit, aliæ aliis digniores, particulares universalibus; sed volo, quod non recipiant plus & minus, hoc est, quod non prædicentur species ex ea, neque genus de singulari magis prædicatione ipsius de singulari alio, neque prædicentur de ipso magis uno tempore, quam in alio tempore; Socrates enim non est magis animal, quàm Plato: neque Socrates est magis animal hodie, quàm cras.

3. Dicendum quid sit Incommunicabile, & Communicabile illud, de quo in theorematibus mentio aliquoties facta est, ut doctrina de natura & supposito melius cognoscatur. Communicabile ergo, quantum ad præsens sufficit, duobus modis dicitur, ut etiam docuimus Antid. nostri libro primo, cap. 15. Est enim aliquid Communicabile, vel ut Quod, vel ut Quo. Communicabile, ut Quod dicitur, quod constituit aliquid cum aliquo, cum quo est realiter idem. Communicabile vero ut Quo, quod non est idem realiter alicui, sed eo denominatur aliud, ut est apud Gabriel. in 3. dist. 1. quæst. 1. Hinc Scotus in 1. dist. 2. quæst. 4. & Nicol. de Orbell. ibid. & in 3. dist. 1. q. 1. Communica-

cabile

bile ut Quod, vocant Communicabile per identitatem; Communicabile, ut Quo Communicabile per Informationem. Vide subtiliss. Duns in 1. dist. 23. quæst. unc. sect. ad quæst. respondeo. Priori modo dicimus superius communicari inferiori, genus scilicet speciei, & universale quodcunque singulari. Ita animal communicabile est homini. Posteriori modo communicabilis est pars toti, & omnino accidens subjecto. Per hunc modum anima Communicabilis est homini & albedo parieti.

Huic duplici Communicabilis generi opponitur duplex genus Incommunicabilis, ut docetur apud subtiliss. Duns in Quodl. quæst. 19. art. 2. dicit enim, quod aliquid sit incommunicabile, prout incommunicabile opponitur universali, quod est incommunicabile partibus. Hoc incommunicabile opponitur communicabili, ut Quod. Deinde dicit esse aliquid incommunicabile, quod excludit omnem modum communicationis, tam communis quam formæ; idque tam Formæ partis, quâ dicitur communicari materiæ informatæ, quàm Formæ totius, ut naturæ, quæ dicitur communicari supposito participanti. Et hoc Incommunicabile opponitur Communicabili, ut Quo. Priori modo singulare quodvis dicitur incommunicabile: quia est in prædicatione ultimum, hoc est, inferius se nihil habet, de quo prædicari possit. Posterius vero genus Incommunicabilis Suppositis proprium est: suppositum enim est incommunicabile & ut Quod & ut Quo, deducitur apud Gab. in 3. dist. 1. quæst. 1. artic. 1. Hoc eleganter expressit subtil. Duns in 3. d. 1. q. 1. art. 3. sect. per hoc ad argumenta: Sicut dictum est, inquit dist. 2. prim. lib. & 23. incommuni-

municabile quod pertinet ad rationem Personæ excludit duplicem Communicabilitatem, videlicet communicabilitatem ut Quod & ut Quo: Natura creata est incommuuicabilis primo modo, quia singularis: singulare enim non est Communicabile, ut Quod nisi sit illimitatum, ut essentia divina. At natura creara Communicabilis, ut quo unitur enim cum divina natura. Persona vero nec ut Quod, nec ut Quo est Communicabilis.

Ex his jam deducitur ordo horum terminorum: natura, singulare seu individuum, substantia, prima, suppositum, & persona. Hi enim termini differunt secundum latius & angustius: semper enim terminus posterior includit terminum priorem; sed contra prior potest esse sine posteriori. Natura enim est terminus communis substantiis & accidentibus, iisque tam Universalibus, quam singularibus, iisque tam universalibns, quam Singularibus. Quo sensu describitur Natura apud Gabr. in 3. dist. 1. qu. 1. art. 1. quod sit res aliqua positiva habens esse reale, non tantum esse objectivum in anima.

Singulare vero seu Individuum est, quod de nullo alio prædicari natum est, ut Cleon, Callias, ut describitur apud Arist. 1. prior. cap. 28. Et hic terminus substantiis etiam & accidentibus convenit, sed determinatis ad hic & nunc. Substantia prima est individuum seu singulare substantiale: sive incompletum sit, ut hæc materia, hæc forma: sive completum, ut hic Leo. Suppositum est substantia prima: sed non omnis verum tantnm completa, & habens ex se perfectum subsistendi modum. Et hic terminus Communis est rebus inanimatis & animatis.

Per-

Persona denique omnis est suppositum: tametsi non omne suppositum sit persona. Persona enim non dicitur, nisi suppositum intellectuale. Vide Nic. de Orbellis in 3. dist. I. q. 1. art. Durand. in d. 2. Thom. q. unic. de unione verbi art. 1. Et de hac re nos fusius egimus in singulari quodam tractatu de Natura & supposito, quem hic subjunxissemus & quædam alia de substantia, nisi brevitati studere coacti fuissemus.

CAPUT. XXIX.

DE ACCIDENTE.

I.

Accidens est Ens natum inhærere in alio tanquam in subjecto.

2. *Accidens absolutum est, quod est independens a termino.*

3. *Estque Quantitas, vel Qualitas.*

4. *Quantitas alia est Continua, alia Discreta: illa cujus partes communi vinculo seu termino continentur: hæc contra.*

5. *Quantitatis continuæ species aliæ sunt Propriæ, aliæ Impropriæ.*

6. *Propriæ sunt: Linea, Superficies, & Corpus.*

7. *Linea est longitudo latitudinis expers: ejus commune vinculum est punctum.*

8. *Superficies est magnitudo longa & lata. Ejus commune vinculum Linea est.*

9. *Corpus est magnitudo trium dimensionum, hoc est, quæ habet longitudinem, latitudinem, & profunditatem. Ejus terminus communis superficies est.*

10. *Quantitas continua improprie dicta est Tempus & Locus.*

11. Tem-

11, *Tempus est connexio præsentis cum præterito & futuro. Communis terminus est Instans.*

12. *Locus est spacium in quo corpus suam habet distantiam.*

13. *Quantitas discreta est, cujus partes communi termino non copulantur.*

14. *Estque Numerus, vel Oratio.*

15. *Numerus est unitatum plurium. collectio.*

16. *Oratio est sermo syllabis longioribus & brevioribus mensuratus.*

17. *Proprietates quantitatis sunt: 1. non habere contrarium. 2. suscipere magis & minus. 3. esse quidque secundum eam divisibile. 4. æquale, vel inæquale quidque juxta eam dici.*

18. *Qualitas est accidens juxta quod quale quidque esse denominatur.*

19. *Ejus genera sunt quatuor: 1. Habitus & Dispositio 2. Potentia & impotentia naturalis. 3. Paßio & paßibilis qualitas. 4. Forma & quæ circa unumquodque est Figura.*

20. *Habitus est qualitas rei animatæ adventitia difficulter à subjecto mobilis secundum quam ad prompte, & cum delectatione agendum idonea redditur ad ea perficienda, quæ per solam naturam non poterat, ut sunt artes & virtutes.*

21, *Dispositio est qualitas adventitia facile mobilis ad habitus gignendos ordinata.*

22. *Naturalis potentia & impotentia est qualitas naturalis, qua ad aliquid efficiendum vel patiendum, vel non patiendum quid aptum natum est: ita risibilitas & potentia loquendi est naturalis hominis facultas.*

23. *Paßio & paßibilis qualitas est, quæ vel in sensu paßionem efficit, vel e passione aliquæ*

liqua in subjecto originem habet, ut: sonus, color: calor, &c.

24. *Forma et quæ circa unumquodque est, Figura, est modus seu figuratio quædam terminorum, qui circa unumquodque quantum existunt, ut: triangulum, quadrangulum, rectum, curvum.*

25. *Qualitatis proprietates sunt tres 1. habere contrarium. 2. suscipere magis et minus. 3. secundum eam simile vel dissimile aliquid dici.*

26. *Accidens cum respectu est Relatio.*

27. *Relatio consideratur vel quoad nomen, vel quoad rem.*

28. *Quoad nomen Relatio, alia est rationis, alia realis.*

29. *Relatio rationis est, quæ non habet fundamentum à parte rei: et hinc vera relatio non est, nec habet proprium esse ad aliud, sed tantum ita habere fingitur seu concipitur, ac si haberet.*

30. *Relatio realis est, quæ habet fundamentum à parte rei.*

31. *Estque vel secundum dici vel secundum esse.*

32. *Relatum secundum dici est absolutum Ens, cui tribuitur respectus ad aliud.*

33. *Relatum secundum esse, quod sua natura ad aliud refertur.*

34. *Hoc refertur vel ratione transcendentali, vel relatione prædicamentali.*

35. *Relatio Transcendens est, 1. quæ terminum non respicit, ut purum terminum seu gratis, sed intuitu alicuius muneris præstandi. 2. nec advenit subjecto per modum formæ, sed essentialiter includitur in eo quod refertur. Vide Coll. Conimb.*

Conimb. Categ. cap. 7. de Relat. q. 1. art. 2.

36. *Relatum prædicamentale est accidens ordinatum ad terminum.*

37. *Relatum duplex est: relatum relatione intrinsecus advente, et relatum relatione extrinsecus adveniente.*

38. *Illud dicimus, quando respectus necessario consequitur fundamentum posito termino.*

39. *In eum modum relata definiuntur, quibus hoc ipsum est esse, ad aliud quodammodo se habere, Categ. c. 8.*

41. *Horum considerantur conditiones, et proprietates.*

44. *Conditiones sunt septem: Subjecta duo, Fundamentum et Terminus, Relatum et Correlatum, et respectus ipse.*

42. *Proprietates sunt: 1. esse simul natura, 2. dici secundum convertentiam. 3. habere æqualem determinationem quoad notitiam.*

43. *Relatum relatione extrinsecus adveniente illud dicimus, cui accidit respectus qui non necessario sequitur posito fundamento et termino, Ejusmodi sex reliquis generibus tribuitur apud Scotum quodl. q. 11. art. 4.*

44. *Ejusmodi vero sex genera sunt: Actio, Passio, Quando, Vbi, Situs, et Habitus.*

45. *Actio est secundum quam in id quod subjicitur agere dicimur. Gil. Porret. lib. princ. c. 2. Aliter aliquanto definit Campanella de sensu rerum lib. 2. cap. 15. Actio, inquit, est propria similitudinis effusio ab agente.*

46. *Actio vero alia est immanens, alia transiens.*

47. *Actio immanens ea dicitur, quando agens et patiens supposito non differunt, ut: intellectio, est ab intellectu, et in intellectu. Vide Arist. 9, Metaph. t. c. 16.*

48. *Actio*

48. *Actio transiens quando agens & patiens differunt supposito, ut: ædificatio fit architecto & recipitur in domo.*

49. *Transiens est vel emanativa, vel cum transmutatione.*

50. *Actio emanativa est, quando actio proficiscitur ab agente sine ejus vel motu, vel conatu, ut: creatio, quæ facta est solo verbo.*

51. *Actio per transmutationem, quæ fit cum motu & conatu agentis subjectum alterantis et transmutantis: ut generatio rei è subjecta materia.*

52. *Paßio est influxus actionis in id quod actionem recepit.*

53. *Hæc duplex est: Corruptiva et perfectiva.*

54. *Corruptiva est, quæ paßo imperfectionem quandam infert, ut, pulsatio, vulneratio.*

55. *Perfectiva est receptio perfectionis in subjecto passo, ut intellectio.*

56. *Actionis & paßionis proprietates sunt duæ: Contrarietas, et suscipere magis et minus.*

57. *Quando est ordo rei ad durationem.*

58. *Duratio est eßendi perpetuatio.*

59. *Estque vel æternitas, carens principio, fine, et succeßione: vel Ævum carens fine non principio: vel Tempus durationis e præsenti, præterito et futuro continuato.*

60. *Vbi est ordo rei ad locum.*

61. *Situs est ordo corporis ad positionem.*

62. *Habitus est corporum et eorum, quæ circa corpus sunt adjacentia. Gilb. Porret. lib. de 6. princip. cap. 7. Et hæc de decem generibus.*

COM-

COMMENTARIUS.

Accidens duobus modis dicitur, ut annotavit subtiliss. Duns in 4. d. 12. quæst. 1. sect. quæst. & 7. Met. quæst. 1. sect. responsio Nicol. de Orbell in 4. d. 12. quæst. 1. sect 1. & 3. & Soncinas 7. Met. quæst. 1. Uno modo pro eo, quod per se significat nomen accidentis, quod est accidere alicui: & ita accidere est synonymum cum nomine inhærere & notat respectum quendam additum naturæ seu essentiæ ejus, quod denominatur esse accidens in ordine ad subjectum. Alio modo accipitur pro eo, quod denominatur esse accidens, hoc est, pro natura cui tribuitur ille respectus. Albedo verbi gratia uno modo dicit essentiam denotatam per definitionem propriam, sine ordine ad subjectum in quo existit: cui additur respectus seu ordo ad subjectum, ratione cujus sortitur denominationem quandam, ut accidens esse dicatur, quod denotat non esse separatum à subjecto, sed in subjecto esse. Et priori significatione dubium non est, quin inhærentia sit de essentia accidentis: inhærentia enim & accidentalitas, ut ita loquar, sunt synonyma, accidentalitas vero ea est ratio accidentis, ut in propria significatione stricte accipitur. Verum in posteriori significatione quæritur, an inhærentia denominativè potius, an vero quidditativè accidenti conveniat, qua de re acriter inter Philosophos disceptatur, & nos eam quæstionem in praxi nostra Logica decidimus. Statuo vero inhærentiam esse modum accidentium intrinsecum, per quem à posteriori definiantur, ab accidentibus omnino inseparabilem.

Acci-

Accidens vero communiter faciunt aliud prædicamentale, aliud prædicabile. Accidens prædicabile, illud dicimus, quod à proprio contradistinguitur: & definitur apud Porphyr. in Isag. quod adesse vel abesse potest sine subjecti corruptione. Et ita esse album quando dicitur de pariete est accidens prædicabile: accidit enim parieti esse album. Et hoc duplex est: separabile scilicet & inseparabile. Separabile illud dicimus, quod indifferens est ad inesse & non inesse, ut ambulare in Socrate, potest enim æque ac non potest ambulare.

Inseparabile vero illud dicimus, quod tametsi ad essentiam non attinet, tamen ob specicialem materiæ dispositionem actu non separatur, ut est nigredo in corvo.

Prædicamentale vero accidens dicimus, quod à substantia contradistinguitur: & ita accidens commune est ad proprium, & accidens quintum prædicabile. Risibilitas enim quæ de homine non prædicatur accidentaliter, sed per modum proprii, prædicamentale accidens dicitur, quia in genere Qualitatis proponitur. Et hoc modo in præsentia accidens accipitur.

Est vero Accidentis ad subjectum & substantiam duplex habitudo, ut annotavit subtil. Duns in quodl quæst. 19. art. 2. & in 3 d. 1. quæst. 5. sect. Supponendo, & d. q. Nicol. de Orbell. art. 2. est enim alia habitudo informantis ad imformatum, alia posterioris naturaliter ad prius à quo pendet.

Prior habitudo dicit ordinem inter substantiam & accidens, ut actus ad suam potentiam: est enim subjectum in potentia & formam accidentalem, ut ex utrisque fiat unum per accidens. Eiusmodi habitudo est inter Coriscum

&

& Musicam: Coriscus enim est in potentia ad addiscendam Musicam, quæ per modum habitus in eum introducta, denominat eum accidentaliter, ut dicatur Coriscus, Musicus, quod est unum per accidens, docente Arist. 5. Metaph. t. c. 7. Posteriori respicit subjectum, ut in quo est, seu à quo dependet. Dependentia vero illa est in genere causæ materialis: subiectum enim ad accidens se habet ut materia in qua est. Ea dependentia infert posterioritatem in accidente ad subiectum in quo est. Vnde omnis substantia accidente prior esse dicitur. Eam prioritatem annotavit Arist. 7. Metaph. t. cap. 4. substantiam primam dicendo definitione, cognitione, tempore & natura. Qua tamen in re difficultas est, ut docet Zabar. in 2. de prim. Mat. cap. 11. Falsum enim esse videtur substantiam tempore præcedere accidentia; risibilitas enim cum homine tempore simul est, & quantitas cum materia & corpore. Verum dicendum est hoc intelligendum non esse, quod quæcunque substantia prior sit accidente omnibus iis modis. Aristoteles enim non determinare voluit in specie modos prioritatis qui singulis accidentibus competerent, sed in genere modos præscripsit quibus accidens posterius substantia est. Omne accidens (omne accipiendo non distributive, sed collective) substantia posterius est modis his vel omnibus, vel quibusdam saltem ex illis. Alia enim accidentia in particulari natura tantum posteriora sunt non tempore, alia & tempore & natura sunt posteriora: in universali vero accidens consideratum ad substantiam hos posterioris modos omnes complectitur.

Elegans circa accidens subiectum est canon

non apud Ariſtot. 4. Metaph. t. cap; 14. Accidens non eſt accidens, niſi ambo accidant eidem. Ad quem clarius explicandum, ſciendum, quod accidentis ſubjectum eſt duplex, ſecundum Scotum & Nicol. de Orbell. in 4. d. 12. Vnum ut primo in ſe recipiens, aliud ut ultimo terminans, hoc vocant ultimatum. Ultimatum illud dicitur, quod ultimo terminat accidentis dependentiam, ita ut nihil ulterius terminet. Et hoc modo non poteſt terminari accidens niſi à ſubſtantia: quia nullum accidens poteſt eſſe ſine ſubſtantia. Ergo nec accidens ab accidente ſine ſubſtantia terminari poteſt. Non ultimatum illud dicitur, quod quocunque modo proxime terminat accidentis dependentiam: & ita multa accidentia terminantur ab accidentibus. Color non recipitur in corpore niſi mediante ſuperficie. Corpus ergo eſt ſubjectum ultimo terminans & colorem & ſperficiem: Verum ſuperficies eſt, ut proximum coloris ſubjectum, quia mediante ſuperficie color in corpore recipitur. Hoc ſenſu apud Ariſt. ſcriptum eſt in 5. Met. c. 6. Juſtum & muſicum dici unum ſecundum accidens, quoniam uni ſubſtantiæ accidunt, Coriſco nimirum.

Accidentia ſunt duplicis generis: alia enim abſolute dicuntur ſine ordine ad animam: alia vero conſequuntur res cum ordine ad animam. Prioris generis ea eſſe dicimus, quæ ex ſe & ſua natura habent eſſe perfectum, cujuſmodi ſunt color, ſuperficies, linea & eius generis alia. Quæ v. cum comparatione ad animam dicuntur ea ſunt, quæ quum in rebus ſint potentia, ſuæ quidditatis actum & formalitatem recipiunt ab anima, eaque ſine anima eſſe completum non habent; ejuſmodi ſunt eſſe ſenſibile,

bile, intelligibile, comparabile, numerabile. Eo sensu apud Themist. scriptum est in 2. de anim. c. 22. ad text. 67. quanquam subjecto idem est color & visibile, tamen considerationis & rationis discriminibus differunt. Nam visibile obnoxium visui est, ad quem refertur: color impromiscua & absoluta res est. Item: visibile visu abjuncto non consistet nisi potentia: at color etiam nunquam conspectus semper est color. Ita autor. solut. contr. Averr. in 4. Physic. contra. sec. 27. docet: numerum formalem non esse accidens absolutum distinctum à rebus, quod subjective sit in rebus extra animam: sed numerum dici in rebus, per denominationem extrinsecam, quia ex quo anima per numerum abstractum in ipsa existentem numerat illas res, ea de causa illæ res denominantur numeratæ. Et hæc de accidente in genere.

Singula prædicamenta in specie quædam tantum strictim attingamus.

De quantitate notabile hoc est; Quantitatem de continua & Discreta Quantitate dici, non in modum generis Univoci, sed ut æquivocum de suis æquivocatis. Hanc sententiam docuit Averr. in quæsitis post. Anal. qu. 4. dicens: quod & quantitas sit nomen æquivocum & æqualitas, quæ quantitatem consequitur sit nomen æquivocum. Eam vero duobus diversis argumentis inter quæ unum hoc est: Si enim Quantitas esset unum genus necessasio partes et, quæ speculantur de partibus Quantitatis essent partes unius artis: & esset ars quæ considerarет orationes, & quæ eduntur de numero, & ars tractans de tempore et loco quæ est ars naturalis, omnes essent partes unius artis, nam hæ omnes essent species contentæ sub uno genere.

Quia

Quia vero absurdum unam artem omnium harum esse speculativam, partes ex diversæ unius generis esse non possunt. Et hanc etiam sententiam probat Zabar. in 1. post. cont. 74. Hinc cum Arist. in Categ. Quant. noluimus Quantitatem in genere definire: definitiones enim non æquivocis, sed univocis conveniunt.

In Qualitatis prædicamento aliquid de habitu dicemus. Habitus consideratio duplex est: Una ad obiectum, altera ad subiectum. Consideratio habitus ad obiectum est, circa quod versatur habitus, cuiusmodi est ordo scientiæ ad scibile. Et hoc modo Habitus est in prædicamento relationis, ut scientia & scibile. Consideratio vero habitus, ad subiectum est, quatenus habitum metimur è subiecto, quod habile & promptum redditur ad operandum cum delectatione ut docet Arist. 2. moral. cap. 3. Et ita hoc loco in qualitatis prædicamento collocatur. Primam habitus considerationem dicunt esse Formalem: metimur enim formaliter habitum è suo subjecto: alterum causalem esse dicunt, quatenus habitus aliquid operatur in suo subiecto in quo est.

Sunt vero habitus multiplices: 1. habitus alii sunt acquisiti, alii infusi. Acquisiti dicuntur habitus ex crebris actionibus comparati. Quo sensu dixit Scalig. exer. 307. s. 4. ex actionum crebritate, aut ex paucis bene validis habitus creatur: & in 7. de c. ll. c. 141. ex frequentibus actibus habitus. Hinc Aristot. 2. Eth. cap. 1. morales virtutes dictas vult ex more, quod ex assuetudine acquirantur: & docet virtutes nos acquirere, ubi prius fuerimus operati: quemadmodum etiam in aliis artibus. Quæ enim, inquit, ubi didiceremus facere oportet, ea facien-

do

do discimus. Sicut enim ædificando ædificatores, cithara canendo citharœdi: ita quoque justi agendo justi, temperantia temperantes, fortia fortes evadimus.

Habitus vero infusi dicuntur, quos nostra opera non aquirimus, sed qui à superiori agente dependent. Hinc Thomas 3. p. q. 9. ad 4. notavit differentiam habitus acquisiti & infusi his verbis, quando ait: aliam esse rationem de habitu acquisito & de habitu infuso. Nam habitum scientiæ acquiri per comparationem humanæ mentis ad phantasmata: sed habitum scientiæ infusæ esse alterius rationis, utpote, qui à superiori descendat in animam, non secundum proportionem phantasmatum.

Porro Scotus in 3. d. 34. quæst. unic. S. ad istam quæstionem, utrumque habitum & aquisitum & infusum dividit per esse intellectuale, & esse in appetitu. Habitum vero intellectualem, qui dirigit intellectum, in speculativum & practicum: Speculativi finis veritas, practici actio. Speculativum subdividit per realem & rationis. Realis qui circa Ens reale versatur: & dividitur in 6. Metaphys. t. cap. 2. in Theologiam Naturalem, & Mathematicam. Speculativus vero rationis est, qui circa Entia rationis, seu notiones secundas versatur: cujusmodi habitus à quibusdam dicuntur esse habitus Logici. Practicus dividitur per agibile & factibile: ille circa operationem, hic circa opus est. Vide Arist. 1. magn. moral. cap. 33. Habitus vero appetitivus dividitur, quod sit vel in ordine ad se, vel in ordine ad alterum. Ejusmodi habitus è sententia piccol. sunt virtutes morales, quas in appetitu sensitivo esse dicit: Fortitudinem & Temperantiam in ordine ad seipsum; Justiti-

am in ordine ad alterum. De reliquis Qualitatum generibus legi poterit doctissimus Commentarius viri Clariss. Zachariæ Ursini in Organon Aristotelis.

De Relatis hoc notabimus. Relata sunt vel realia, vel rationis. Ad relationem realem tria requiruntur, ut annotavit Nicol. de Orbell. in 1. d. 31. art. 1. 1. ut & fundamentum & terminus sit quid reale. 2. ut extremorum distinctio sit realis. 3. ut è natura rei insit extremis ipsis relatio sine opera intellectus interveniente. Relatio vero rationis vera relatio non est, nec habet proprium esse ad aliud: sed tantum ita habere fingitur seu concipitur, ac si haberet: & definitur, quod sit cujus fundamentum reale non est. Ejusmodi relatio est inter dextrum & sinistrum in columna.

Et ita strictè accipitur Relatio rationis. Accipitur vero nonnunquam in latiori significatione, ut rationis relatio esse dicatur, in qua deficit vel una vel plures earum trium conditionum, quas ad relationem realem requiri dicebamus, ut annotavit Tartar. in comment. ad prædic. Relat: vide Averr. in Comment. Metaph. cap. 9. Datur vero tertia quædam species mixta ex utroque genere, quæ est realis ab uno extremo, rationis vero relatio ab altero extremo. Et hinc docetur apud Thom. 3. p. quæst. 2. ad 7. omnem relationem, quæ consideratur inter Deum & creaturam realiter quidem esse in creatura, per cujus mutationem talis relatio innascatur, non autem esse realiter in Deo sed secundum rationem tantum, quia non innascatur secundum mutationem Dei. Et hoc sensu Martinus Polychius prædicam. quæst. 14. not. 4. relationes docet esse in triplici differentia:

tis: 1. quasdam enim esse reales in utroq; extremo: 2. alias esse reales in uno extremo, & rationis in altero. 3. & alias esse relationes rationis in utroque extremo.

De prædicamento Actionis hæc tantum addemus. Actio ut definitur à nobis è libro sex. princ. cap. 2. quod sit secundum quod in id, quo subjicitur agere dicimur: proprie denotare videtur actionem effectivam. Et est sententia subtiliss. Duns in 4. d. 13. quæst. 1. sect. ad solutionem huius quæstionis non competere eam omni in universum actioni, sed ei tantum, quæ est cum respectu transmutantis ad transmutatum. Qua tamen in re secus sentio: est enim in immanente etiam actione ordo quidam ad subiectum, ut in intellectione videre est, quæ in intellectu recipitur: intellectus vero recipiendo pati aliquid dicitur, passione scilicet perfectiva

Ut vero intelligatur distinctio Actionis in immanentem & transeuntem, sciendum, quod eam docuit Arist. 9. Metaph. t. cap. 16. quando ait: quorundam quidem ultimum est usus, ut visus visio, ut nihil præter hanc à visu fiat opus: à quibusdam vero fit aliud, ut ab ædificativa domus præter ædificationem. Quorumcunque itaque aliud quoddam præter usum est id quod fit, horum actus in eo quod fit est, ut ædificatio in domo, & motus in moto. Quorum vero non est opus aliud præter actionem, in ipsismet actio est, ut visio in vidente, speculatio in speculante.

Prius genus actionem transeuntem dixêre, posterius immanentem. Verum hæc actionis distinctio difficultate non caret, quia modo non uno intelligitur, ut docetur apud subtilis. Duns

in quodl. quæst. 13. art. 3. Uno modo intelligitur distinctio Actionis in immanentem & transeuntem, non ut divisio quædam generis in species, sed ut distinctio vocis in sua significata. Actio n. Transiens proprie actio est: est enim productiva termini in passo alia ab agente, ut calefactio actio est productiva caloris in ligno ultra ipsam actionem, scilicet ultra calefieri. At actio immanens, dicit tantum formam absolutam, seu qualitatem aliquam in eo, in quo est. Et convenit cum actione proprie dicta in duplici conditione: quarum prima est, quod est in continua dependentia ad suam causam: altera, quod operatio transit in suum subjectum tanquam in terminum suum, licet ipsi nòn det esse, sed eum in suo esse præexistentem supponat. Quæ duo & ipsa in actione transeunte sunt: nam & ipsa 1. à causa sua pendet & 2. terminatur in subjecto. Verum addit conditionem tertiam, quod ipsa suum terminum producit. Et ita Actio transiens diceretur, quia ipsa est productiva termini alterius à se, ut calefactio producit calorem: actio vero immanens non quod sit in causa tanquam in subjecto, sed quia sibi ipsi immanens, hoc est, quod non deducitur ad terminum à se diversum: quomodo visio sibi ipsi dicitur immanens, id est non ordinata ad opus à se diversum. Quam santentiam etiam proponit Nicol. de Orbell. in 1. d. 3. q. 8. Et hanc sententiam Scotus magis putat esse de intentione Aristotelis.

Alio vero modo intelligitur, quod Actio dividatur, ut superius in sua inferiora. Hoc modo actio immanens dicitur, quæ est res producta subjective manens in ipso agente, ut intellectio in intellectu. Videtur enim illa forma no-

va esse terminus alicujus actionis, quum ante non fuerit, post vero fuerit producta. Et hanc esse rei veritatem vult Constit. Sarnanus direct. Theol. edit. Rom. pag, 61. Et ita actio Transiens erit, quæ est in subjecto ab agente diverso: quomodo actio architecti non terminatur in ipso, sed in subjecto ab architecto diverso actionis termino, opere scilicet architecti ut domo. Et hoc modo nos superius actionem in immanentem & transeuntem definimus. Vide Soncin. 9 Metaph. quæst. 20. Thom. contra gent. lib. 2. cap. 1. & Hier. Zanch. 2. de nat Dei c. 8. q. 1. n. 5.

Unum hic notandum de divisionibus in actionem in immanentem & transeuntem, per emanationem & transmutationem, quod sint intelligendæ secundum præcisionem: nam omnis actio immanens est etiam per emanationem sed non omnis actio per emanationem est immanens: & actio per transmutationem est etiam transiens, sed non omnis actio transiens est per transmutationem quia quædam per emanationem solam est, ut Curatio.

Explicandum hoc loco est tritum illud axioma; Actiones esse suppositorum. Sensus hujus effati duplex est: Unus est, quod circa singulare actio sit, ita ut actionis objectum non nisi singulare ponatur. Quo sensu Arist. 1. *Metaph*. c. 1. scripsit, actiones ac generationes esse circa singulare omnes; non n. hominem nisi per accidens sanare, qui medetur, sed Calliam aut Socratem, aut alium quempiam eorum, qui sic dicuntur, cui accidit hominem esse.

Alius vero sensus est, quod omnis actio sit à singulari effective, nec à quocunque singulari, sed tantum à supposito. Hic dicendum, quod

agendi principium duplex est: Agens ut Quod, & Agens ut Quo. Agendi principium ut Quod non est nisi singulare suppositum: ast actionis principium ut Quo, seu ratio agendi, qua mediante agit suppositum, non suppositum tantum est, sed & partes & accidentia, & universalia ea, quæ sunt in supposito. Ita Johannes scribit, ut agens Quod, sed manu, ut principio Quo. Ignis calefacit, sed mediante calore. Homo intelligit mediante anima rationali, anima enim intelligere non dicitur. Johannes cadens è fenestra fertur deorsum, non quà homo, sed qua mixtum in quo prædominatur elementum grave. Petrus sentit, quia est animal. Ita ex Averroë 2. Phys. docet August. Niphus Suessanus in disp. Metaph. 1. distinct. Averr. p. 35. licet operatio sit primo suppositi, ratio tamen operandi primo inest naturæ. Et Zimara solut. contrad. Arist. & Averr. & de anima contrad. 21; actio tribuitur composito, ut quod, formæ ut quo.


Hic ergo notanda est Scoti sententia in Quodl. quæst. 8. art. 1. ubi docet. nullum suppositum agere nisi sit actu per illud, quod ipsi sit formaliter ratio agendi. Et intelligit sic: vel ut habeat illud tanquam formam informantem ut est in rebus naturalibus. propter quod Arist. 2. de anim. t. cap. 26. concludit, animam esse actum & formam corporis: quia est principium, quo conveniunt ei operationes corporis animati. Vel ut illud, quod est principinm agendi sit omnino idem supposito agenti, ut est in forma simplici subsistente, quæ sc. statim est quod est, ex 8. Metaph. text. cap. 13. & ita se tota agit.

Solet & alia agitari quæstio an actio sit in agente,

agente, an vero in patiente. Et de actione immanente quidem res est expedita: quum enim in ea agens & patiens sint idem subjecto, actio sive subjective esse dicatur in agente, sive in patiente quoad rem coincidit. Quæstio est de actione transeunte. Hic sciendum, quod duobus modis aliquid alicui dicatur inesse: vel effective & virtualiter, & subjectivi. Priori modo quæstio locum non habet: est enim in agente vis & virtus producendi effectus, & ita secundum quid, effectivè scilicet actio est in agente, quatenus ab agente nascitur & oritur. An vero subjective sit in agente, an vero patiente dubium. Et denominatio quidem arguere videtur, actionem esse in agente, non enim patiens, sed agens agere dicimus. Verum à denominatione firmum argumentum peti non potest. Est enim docente Gab. in prol. sent. q. 3. & in 2. dist. 34. q. unic. art. 1, not. 3. & Sonc. in 5. Metaph. q. 40. denominatio multiplex; ita ut denominatio alia sit privativa, quando aliquid denominatur, non ab eo quod habet, sed ab eo quod non habet, ut cæcus denominat à carentia visus; alia positiva quando aliquid denominatur à re quam habet. Quæ iterum duplex est; vel intrinseca, quando denominans est in denominatio, vel extrinseca, quando denominatio fit ab eo, quod non est formaliter in eo quod denominatur, sed etiam loco & subjecto distat, ut dives denominatur à divitiis, quæ non inhærent. Intrinseca itidem duplex est; Est enim denominatio alia absoluta, sine connotatione alicuius termini, quo modo omnia prædicamenta absoluta denominationem faciunt; idque dupliciter, vel denominando essentialiter, ut quando denominatio vel à forma, vel à proprio: vel accidentaliter,

ter, ut quando accidens denominat suum subjectum ut docet Scotus in 2. dist. 12. q. 1. s. ad argumentum primum dico. Alia vero denominatio est intrinseca, sed cum connotatione termini extrinseci, quomodo pater denominat hominem, sed cum ordine ad filium. Quantum ad præsens attinet; Peretius Phys. lib. 13. c. 8. statuit, agens denominari ab actione non intrinseca, sed extrinseca denominatione, non quia sit in ipso, sed quia sit ab ipso. Mea sententia est; actionem esse subjective non in agente, sed in patiente. Hanc docuit Aristot. 2. de anima tex. 139. Si igitur, inquit, motus & actio & passio est in eo quod movetur & patitur, necesse est & sonum, & auditum, qui est secundum actum in auditu, qui secundum potentiam esse. Activi enim & motivi actus in patiente fit, unde non necesse est movens moveri. Vide pluribs Perer. d. lib. 13. cap. 7. & 8.

Et hæc nos breviter; qui pluribus volet, consulat Fonsecam, & Franciscum Suarez abunde habebit. De intelligentiis & ordine hujus scienentiæ ad inferiores alias seq. lib. agemus.



JOHAN. COMBACHII WETTERANI METAPHYSICORUM LIBER SECUNDUS.

PRÆFATIO.

CUm studiorum gratia Anno Christi 1609. essem in Anglia, in celeberrima Academia Oxoniensi permissu superiorum de Mentibus Separatis, Præsente Insignissimo Dn. Vice Cancellario Dn. Iohane King, post Episcopo, vere pio, Londinensi, & gravissimo Theologo Dn. Hollando, viro multiplicis lectionis, aliisque Doctoribus, Magistris & magno studiosorum numero, (vivebant enim eo tempore, ut communis vox erat, in hac

Vniversitate circiter tria studiosorum millia) quatuor lectiones publicas se potius discursus, in auditorio Theologico habebam. Sæpius de iis edendis cogitavi: Sed inciderunt impedimenta alia atque alia, quo minus quod proponebam perficere potuerim. Ac ne nunc quidem opera mea divisa sat otii mihi concedunt ad hoc opus ex voto absolvendum. Nolui interim doctrinam hanc plane omittere. In eum finem hunc qualemcunque tractatum subnectere visum est, donec meliora tempora plura eaque meliora exhibeant. Et *erit hic Liber secundus dictus nomine Lectionum Oxoniensium, quarum summam complectitur, in memoriam beneficiorum, quæ in me contulerunt ejus Academiæ tum proceres, tum viri alii boni.*

META-



METAPHYSICORUM LIBER SECUNDUS.

CAP. I.

De Separatis secundum essentiam, & in specie de DEO.

THEOREMA PRIMUM.

Universalis Metaphysicæ pars hæc fuit: Particularis sequitur.

2. *Ea docet naturam Entis quatenus Ens, secundum conceptum Separatorum per essentiam.*

3. *Separata per essentiam sunt, quæ ita abstrahunt re & ratione à materia, ut eam nec in definitione, nec in existentia sui includunt, Ejusmodi sunt spiritus.*

4. *Spiritus est substantia omnis materiæ, & corporeitatis expers.*

5. *Estque vel increatus, vel Creatus.*

6. *Spiritus Increatus Deus est.*

7. *Notitia de Deo vel supernaturalis est, in quantum cognoscitur ratione Essentiæ, Personarum & gratuitæ voluntatis: hæc soli Ecclesiæ in Scripturis revelata est. Vel naturalis gentibus etiam nota, tum e principiis naturalibus, tum e libro naturæ & opere creationis.*

8. *Deus*

8. *Deus est expers principii perfectum & omni ex parte absolutum universorum principium ut describit Clemens Strom. lib. 4.*

9. *Ejus considerantur tum attributa, tum operationes.*

10. *Attributa sunt nomina, quæ de Deo per modum proprietatum prædicantur, ita tamen ut substantiæ ejus non sint addita. Averr. destruct. disp. 3.*

11. *Ea tametsi multa sunt in Deo tamen compositionem non faciunt; sunt enim in Deo non formaliter, sed eminenter. Vnde pluralitas ea non est in Deo formaliter, sed ratione nostri inadequati conceptus, ut sub ratione pluralitatis concipiamus, quod à posteriori è respectu & ordine ad nos non nisi per similitudinem & ἀναλογίαν quandam imperfecte cognoscimus. Vide Thom. opus. 72. quod est de concordantiis sub initium.*

12. *Eiusmodi attributa tria potissimum secundum Philosophos Deo appropriantur: quod sit Sciens, Excellens, & Potens Averr. distruct. disp. 11. Metoph.*

13. *Scientia Dei est Scientia in ultimitate perfectionis, qua scit omne illud, quod emanat ab eo vel mediate, vel immediate. Eaque scientia non est einsdem naturæ cum nostra, quoniam scientia nostra est diminuta & posterior scito. Averr. eadem disp. Metaph. distruct.*

14. *Excellentia seu nobilitas DEI apud Averr. juxta sententiam August, Niphi Suessani ad eum locum est Dei voluntas.*

15. *Dicitur vero voluntas, ut & scientia, de Deo æquivoce ad nostram: absit enim, inquit Averroes, ut sit Deo appetitus, ex eo quod deficit ei, et substantiæ eius aliquid, adeo ut sit*

causa

causa motûs & actionis aut ex se aut ex alio: sed non intelligitur per voluntatem, nisi ordinatio operationis copulata scientiæ. Ibid.

16. *Potentia Dei est vis Dei secundùm quam omnia agere potest.*

17. *Ea distinguitur in ordinariam & absolutam. Scal. ex. 365. sect. 8.*

18. *Illam exerit agendo secundùm ordinarium naturæ cursum: hâc ea etiam agit quæ sunt præter & supra naturæ cursum. Hinc commune effatum est Scholasticorum: posse eum omnia, quæ non implicant contradictionem. Vide Lombard. 1. sent. 42. 43.*

19. *Hæc verò tria attributa Averrois, quia ab ipso dicuntur esse in ultimo seu summo gradu perfectionis, præsupponunt Attributum Infinitatis.*

20. *Est verò Deus Infinitus in essendo, quia complectitur omnes gradus perfectionis: in operando, quia non agit, quin possit plùs & ultra: & duratione; hinc æternitas ei convenit, quæ est duratio carens principio, fine & successione.*

21. *Operatio verò Dei est tum creatio, tum conservatio. Illa res omnes de non esse ad esse sunt productæ; hac earundem rerum esse & operatio & conservatur & ad debitos fines dirigitur. Vnde providentia Deo tribuitur, qua omnia conservantur, ut docet Chrysost. hom. 10. ad pop. Antioch. & de provid.*

COMMENTARIUS.

PRioris Metaphysicæ partis quatuor membra exegimus: agendo de Metaphysicæ subjecto, principiis, affectionibus & universalissimis Entis divisionibus. Ad alteram nunc accedimus,

mus, quæ agit in particulari de Entibus incorporeis & ab omni materia sejunctis ac separatis. Etsi vero sunt, qui judicant hanc doctrinam Separatorum aliam & diversam disciplinam facere, ab ea quæ est de conceptibus generalissimis & universalissimis: alia tamen Aristotelis fuit hac de re sententia, qui eodem volumine complexus est & doctrinam, quæ est de Ente quatenus Ens est, & doctrinam horum Entium ab omni materia separatorum. Et Zabarella in lib. de ordine intelligendi disputat adversus M. Anton. Genuam: si ipsam rerum naturam spectemus, quatenus nobis considerandæ & cognoscendæ proponuntur, oportere de abjunctis à materia per essentiam & de abjunctis per indifferentiam, non duas esse disciplinas, sed unam & eandem. Ac omnino videtur esse necessarium, ut quia Ens non est quid univocum, prout docet Aristot. 4. Metaphys. 1. cap. 2, πρός ἓν καὶ ἀφ᾽ ἑνός, seu ut loquuntur, analogum; & verò analogum non potest intelligi sine principali analogato: principale illud analogatum in eadem scientia doceatur & tradatur cum suo analogo. Est verò principale Entis analogatum in doctrina Separatorum positum. Hæc itaque doctrina ab Ente, quatenus Ens est, sejungenda non est. Quæ sententia defendi facilius potest, si dixerimus, Ens quatenus Ens esse, in quo non differt quod à quo, sed in quo quod & quo sunt idem realiter. Constat enim in Separatis à materia idem esse quod & quo, seu in iis essentias non habere aliquas causas essendi è quibus fiant: sed essentias stare seipsis, ut loquitur libellus de causis.

Porro quia Spiritus vocabulum Deo communiter & aliis Intelligentiis tribuitur, an univoce

vocè dicatur, an analogice, an vero æquivocè considerandum? Dicendum hic, nihil posse esse Deo commune univocum cum creaturis. Id disputatum ab Algazele & Averroë destruct. disp. 7. quod enim duo talia habet, scil. quod communicat cum aliquo, & quod differt ab eo, est compositum. Quod si ergo Deus communicat cum aliquo in genere, & differt ab eo in differentia: Ergo Deus est compositus. Et respondet Averroës: jam dixi, quod sequitur hoc propter communicationem, quæ reperitur ex parte generis dicti univocè, non autem ex parte generis dicti secundum prius & posterius. Philosophi autem non concedunt de ente antiquo aliquam communicationem in genere omninò. Hoc est, ut explicat Augustin. Niph. Suessanus in comment. ad hunc locum: Averroës limitat dictum, dicens: non dicimus, quod hoc, id est, Deum esse compositum, sequitur communicationem necessario ratione generis univoca prædicatione, non autem analogicè. Unde bene valet, hoc communicat cum aliquo in genere univoco, & differt ab eo differentia univoca: Ergo est compositum. Sed non valet de genere & differentia analogicè dictis. Ad propositum, modò Deus & Entia mundi communicant in genere & differentia æquivoce dictis: & ideò non sequitur, Deum esse compositum.

Hinc jam porro sequitur, Spiritus vocabulum non posse Deo & Spiritibus creatis ex æquo convenire. De quo antequam dicam, notabo, quod est apud Damasc. de Orthod. fide lib. 1, cap. 18. quod Spiritus intelligatur multipliciter: Spiritus S. virtutes etiam Spiritus S. dicuntur Spiritus, & Angelus bonus Spiritus, & dæmonum Spiritus & anima, quandoque

etiam

etiam mens Spiritus dicitur, & ventus Spiritus; & Spiritus aër. Quod sigillatim è diversis Scripturæ locis demonstravit P. Victorius Commentator Damasc. ad hunc locum. Locus quia non est indignus qui observetur verba ejus huc transcribam: Octo, inquit, enumerat autor Spiritus acceptiones, quarum apud sacras literas non infrequens est usus. Siquidem Spiritus pro Spiritu Sancto sumitur Psalm. 142. Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam. Pro virtute Spiritûs Sancti Jud. 14. Irruit autem Spiritus Domini in Sampson, & dilaceravit leonem: ubi donum Spiritus S. scil. fortitudo atque robur, Spiritus nominatur. Pro Angelo bono Psal. 103. qui faci Angelos suos Spiritus, & ministros suos ignem urentem. Pro Dæmone 1. Reg. 18. post diem autem alteram, invasit Spiritus Dei malus Saul. Pro anima Gen. 7. universæ aves omnesque volucres ingressæ sunt ad Noë in arcam, bina & bina ex omni carne in qua erat Spiritus vitæ. Pro mente, Paulus 1. Cor. 2. quis enim scit hominum, quæ sunt hominis, nisi Spiritus hominis, qui in ipso est? Pro vento, Ecclesiast. 43. Vox tonitru ejus verberavit terram, tempestas aquilonis, & congregatio Spiritus. Demum pro aëre, Psalm. 118. Os meum aperui & attraxi Spiritum. Ita ille.

Præter has v. significationes etiam Physicus agit de Spiritibus, ut sunt Spiritus naturalis, vitalis & animalis: quâ de re in Physicis nostris egimus. Sed hæ significationes propriè præsentis instituti non sunt. Hoc loco Spiritum intelligimus, substantiam omnis materiæ & corporeitatis expertem: quo sensu in genere quidem Spiritus vocabulum Deo & Intelligentiis

gentiis tribuimus, sed non eâdem simpliciter ratione. Deum esse Spiritum Joh. 4. scriptum & à Damasc. lib. 1. de orthod. fid. cap. 4. probatum, esse eum incorporeum: quo pacto enim corpus fuerit infinitum, interminatum, infiguratum, intangibile, invisibile, simplex, incompositum? quomodo immutabile, si circumscriptum, si passionis injuriæ obnoxium? Et Averroës destruct. disput. 10. disputat contra opinionem Orientalium, tenentium, quod Deus sit corpus cœleste: & concludit, Deum nec esse corpus omninò, nec potentiam in corpore. In disp. v. 6. asserit, quod hæc substantia sit principium mundi, & quod sit simplex & separata à materia & habeat quidditatem, quæ est simpliciter. Et Tho. 1. p. quæst. 3. art. 1. Deum absolute non esse corpus tripliciter ostendit. 1. quod sit primum movens immobile, 2. quod necesse sit primum *Ens* esse in actu, & nullo modo in potentia 3. quia Deus id, quod est nobilissimum in Entibus: quæ omnia corpori convenire nullo modo possunt.

Esse verò & Angelos natura incorporeos Cyrillus docet in Joh. lib. 4. c. 10. & Damasc. lib. 2. de Orthod. fide cap. 3. scribit, Angelorum factorem & opificem esse Deum, qui ipsos ex nihilo ad esse deduxerit ad propriam illos creans imaginem naturam incorpoream, ut Spiritum quendam, aut immaterialem ignem. Idque disputavit Toom. 1. p. q. 50. art. 1. Quod vero citato loco Damascenus dicit: Incorporeus & immaterialis dicitur Angelus, quantum ad nos: nam omne ad Deum collatum (qui solus incorporalis est) crassum & materiale comperitur: sola enim vere immateria-lis

lis & incorporea divinitas. Id non nisi comparative & secundum quid intelligendum, explicat Thom. dist. qu. 50. ad 1. dicendum, inquit, quod substantiæ incorporeæ (intelligitur de Angelis) medium sunt inter Deum & creaturas corporeas: medium autem comparatum ad unum extremum videtur alterum extremum: sicut tepidum comparatum calido videtur frigidum. Et hac ratione dicitur, quod Angeli Deo comparati sunt materiales & corporei: non quod in eis sit aliquid de natura corporea.

Ex his jam facile intelligitur esse spirituale & incorporeum non ex æquo Deo & creaturis convenire: fieri enim nequit, ut sit natura causæ & causati una genere, nisi in caussis individualibus, quemadmodum disputat Averr. destruct. disput. Metaphys. 7. Fieri ergo nequit, ut Deus qui est causa creaturarum, in aliquo genere univoco conveniat cum creaturis. Non ergo Spiritus ii creati à Deo genere & natura cum Deo convenire possunt. Spiritus ergo & esse incorporeum Deo & creaturis ex æquo non conveniunt. Patet: Est enim Deus Spiritus expers omnis & materiæ & potentiæ: Spiritus vero Angelici tametsi excludunt materiam, non tamen excludunt omnem potentiam: dependent enim: dependentia vero omnis conjuncta est cum potentia. Vide de hac proportione prioris & posterioris propter ordinem à prima ad primam Scal. exerc. 359 sect. 14. Ut vero pluribus aliquanto in divinis contemplationibus nos oblectemus, sequentes decem quæstiones ordine discutiendas proponemus.

Quæ

Quæ & quotuplex significatio DEI sit?

OPortet prius vocis ipsius usum cognoscere, à quo sæpenumero provehimur in rei perceptionem, quemadmodum Plato in Cratylo, multis in locis Aristot. ostendit, inquit Scal. exerc. 1. sequamur ejus consilium, inquiramus quid nominis primo loco: quid Dei nomen sibi velit, quæque huic nomini sint annexa videamus. Tertullianus libr. 1. adversus Marcionem ita scribit: Veritas Christiana districte pronunciavit, Deus si non unus est, non est. Quia dignius credimus non esse, quodcunque non ita fuerit, ut esse debebit. Deum autem ut scias unum esse debere, quære quid sit Deus, & non aliter invenies. Quantum humana conditio de Deo definire potest, id definio, quod & omnium conscientia agnoscet, Deum summum esse magnum in æternitate constitutum, infectum, sine initio, sine fine. Hunc enim statum æternitati censendum, quæ summum magnum Deum efficiat, dum hoc est in Deo ipso, atque ita & cætera, ut sit Deus summum magnum, & forma & ratione, & vi & potestate. Ita nimirum de nomine statuendum, ut qua de re sit agendum videamus. Nominis hujus originem si spectemus, Danei sententia est derivari illud à græco θεός: θεὸν dictum Plato putat, quasi θέοντα, id est, currentem, quia omnia pervadit: alii à verbo θεᾶσθαι videre, quoniam omnia videt. Sextus Pompejus à voce δέος, quod timeatur. A Græca enim voce θεὸς Latini suam hanc vocem deduxerunt. Ita scribit lib. 1. Isag. Christ. cap. 1. Et de græca voce Damascenus scribit lib. 1. orth. fidei, cap. 12. sequens nomen est Deus, qui

græce

græcè Θεὸς, vel à θεῖν, id est, currere & disponere universa: vel ab αἴθειν, id est urere (Deus enim ignis est, omnem malitiam consumens) vel à θεᾶσθαι, id est intuendo omnia. Nam nihil eum latere potest, imo omnium inspector est. Intuetur enim omnia, priusquam deducantur ad ortum, intemporaliter intelligens unumquodque secundum voluntariam ipsius intemporalem intelligentiam. Aliam ex Phurnuto originem adducit Lud. Cæl. Rhod. lect. antiq. lib. 21. cap. 24. Deum, inquit, esse appellatū prodit Phurnutus, ἀπὸ τῆς θέσεως, quoniam creduntur θεοὶ θετῆρες καὶ ποιηταὶ γινομένων ὅλων. Quod si quis ab Hebræo די quod sufficientiam & abundantiam denotat unde שדי inter nomina Hebraica Dei refertur derivare velit, non repugnabo.

Nomen hoc absolute sumptum summum magnum denotat: aliis tamen etiam rebus in sacris & profanis attributum legimus. Indeque ejus ambiguitatem, in quantum Theologo est necessaria, eleganter exponunt Zanch. de tribus Elohim part. 1. lib. 6. cap. 1. qui locus quoniam elegans est, non gravabor eum huc adscribere. Nomen Dei, inquit, de alio prædicatur aut propriè, aut impropriè. Proprie, ut de Patre, Filio, & Spiritu sancto. Improprie, ut de aliis præter Patrem, Filium, & Spiritum sanctum. Rursus improprie bifariam: aut vere, aut falso. Vere, ut quos sacræ literæ hoc appellant nomine propter aliquam cum Deo verisimilitudinem, aut propter dignitatem, aut propter officium. Ut Moses Deus Pharaonis Exod. 7. 1. Magistratus Dii Psal. 82. 6. Falso, ut quos ita appellârunt, & ut Deos voluerunt homines, ipsi falsa opinione

nione decepti Jes. 44. 10. idola 2. Cor. 4. v. 4. Venter Phil. 3. 19. quorum Deus venter est. Proprie bifariam: absolute, & distincte. Scholastici dicunt, Essentialiter, & Personaliter. Absolute & Essentialiter, pro divina essentia, seu pro Deitate, quæ nihil est aliud quam Deus, prout dicitur de tribus personis simul sumptis, Patre, Filio, & Spiritu sancto. Distincte seu personaliter, ut cum de una persona, vel Patris, vel Filii, vel Spiritus sancti dicitur. Aliàs in profanis aliter etiam Dei vocabulo utuntur. Ita bona animi cupido vocantur Deus apud Virgilium: apud Astrologos Deus & Dea nomina usurpantur in quibusdam locis geniture. Deum intelligunt ab horoscopo signum tertium, cui per diametrum objectum vocant Deum, id est, ab horoscopo nonum signum. Ita dæmonium Socratis Deum appellavit Apuleius, ut ea de re videri potest Cælius Rhodig. lect. antiq. lib. 2. cap. 10. Nos de Deo, divinisque nominibus secundum scripturæ præscriptum rectius loquimur. Descendit à vocabulo Dei, Deitas & divinum. Deus & Deitas habent se in modum abstracti & concreti: quæ duo tametsi, si essentiam simplicissimam in se spectes, unam eandemque rem denotant; tamen si modum loquendi observes, inprimis in doctrina de persona Christi, concreto tribui animadvertes quæ de abstracto dici & prædicari nequeunt. Deus passus est carne, & sanguine suo redemit Ecclesiam, divinitate impassibili manente, ut in Concilio Chalcedonensi definitum. Divinum vero etiam non uno accipitur modo: Est enim divinum per essentiam, & divinum per participationem. Illud de iis, quæ in Deo sunt & inveniuntur dicitur, ut divina sapientia, bonitas & potentia; hoc donis,

quæ

quæ effective à Deo sunt, & ad nos profluunt tribuimus.

2. *An sit Deus.*

DEum esse notum est tum è libro scripturæ, tum è libro naturæ. Clarius & manifestius esse divinum, ejusque voluntas è scriptura petitur, quæ est doctrina è revelatione, in qua comprehenduntur omnia ea, quæ de Deo ad salutem nostram sunt cognitu necessarias; E libro vero naturæ patet esse Deum, ut à quo dependent omnia quoad esse, conservationem & gubernationem. Ita enim Apostolus docuit Rom. 1. v. 20. Invisibilia Dei à creatura mundi, per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque ejus virtus & divinitas. Indeque Thom. 1. p. q. 2. art. 3. quinque vias proposuit cognoscendi Dei è lumine naturæ: 1. è ratione motûs. 2. è ratione causæ efficientis. 3. è ratione possibilis & necessarii. 4. è gradibus, qui in rebus inveniuntur. 5. E gubernatione rerum. 1. E ratione motûs: quia motus inferiores, necessario reducuntur ad unum primum motorem, qui est Deus. 2. E ratione causæ efficientis; quia in genere causarum necessario devenitur ad primum causam, quæ est Deus. 3. E ratione possibilis & necessarii: quia contingentia necessario reducuntur ad aliquod primum, quod necessario habet esse à se & per se, & est Deus. 4. Quia Ens unumquodque excedit aliud gradu perfectionis: hinc necessario deveniamus ad summum quendam gradum perfectionis, qui non nisi Deo convenit. 5. E gubernatione rerum: quia enim omnia diriguntur ad debitum finem, necessario primum quoddam est intelligens, à quo dirigantur ad eum finem, quod non est aliud, nisi Deus. Hinc vulgatum est apud Scho-

Scholasticos, triplicem esse viam cognoscendi Dei: 1. per viam causalitatis: 2. per viam eminentiæ, & 3. per viam negationis. 1. per viam causalitatis: ut ex opere creationis & universi cognoscamus creatorem & conditorem universi. 2. per viam eminentiæ: ut quæ in his inferioribus designant perfectionem, ea Deo eminenter & nobilissimo modo inesse docemus. 3. per viam negationis, ut quæ in his inferioribus designant imperfectionem, ea Deo tanquam perfectissimo bono convenire negemus. Vide Gregorium de Valentia fuse disputantem an sit Deus, & quomodo probari possit, esse Deum, commentat. Theolog. tom. 1. q. 2. Fr. Patritium de Monarchia: & Fr. Suarez in Metaph.

3. *Quid sit Deus?*

DE Essentia & quidditate Dei duobus modis possumus loqui: vel absolutè & per se, vel in ordine ad nos. Absolute & in se considerata essentia Dei est perfectissima, ut quæ omnes perfectionis gradus in se complectitur: unde & infinitus Deus dicitur, infinitus scilicet infinitate Entis, quod omnia Entia longissimè perfectione sua excedat, nec sit Ens aliud, quod ipsi vel æquiparari, vel ullo modo cum eo in comparationem venire possit. Hic enim locum habet regula: Infiniti ad finitum nulla est proportio. Sed si ea perfectissima Essentia consideratur in ordine ad nos, & nostrum intellectum, tametsi in se sit perfecta, a nobis tamen perfectè cognosci & definiri nequit. Hoc ex infirmitate intellectûs nostri provenit. Ita enim de sempiternis rebus pronuntiavit Scalig. ex. 1. quod ad earum intellectionem, mentis nostræ directa acies tam imbecilla sit, quam ad Solem

lem intuendum Nycticoracis oculus.

Aliqua tamen de Deo haberi potest, sive descriptio sive imperfecta definitio. Possunt enim de Deo haberi, ut disputat Fons. Metaph. lib. 2. cap. 1. q. 2. s. 3. etiam in hac vita conceptus proprii & peculiares, quique in rem aliam convenire nequeant: cujusmodi sunt conceptus Entis infiniti simpliciter, actus puri, causæ primæ, & ejusmodi similes. Hæc attributa Deo propria quando cognoscimus, suam Deo, quandam descriptionem assignamus.

4. An sint Dei quædam attributa, & an ea pugnent cum simplicitate Dei;

IN genere multa Deo convenire nomina, quæ vere ipsi tribui possint, è sacris constat: in quibus vocatur Bonus, Sapiens, Æternus, Justus &c. Hæc nomina attributa Dei vocantur, quod ipsi in modum affectionum & proprietatum assignentur & attribuantur: non quod accidentia alia ab Essentia Deì conveniant Deo, sed quoniam pro ratione nostri inadæquati & imperfecti conceptûs more humano de Deo dicamus, quæ divinam perfectionem variis nominibus quodammodo exprimere & explicare videntur. Namque aliàs locum habet communis regula: Quidquid est in Deo, est ipse Deus: & Fr. Suarez disp. Metaph. 30. s. 6. disserit, omnia attributa esse de Essentia Dei, neque inter se distingui actualiter in re ipsa, neque à Dei essentia. Indeque communem patrum sententiam esse docet: non solum non esse in Deo accidentia, sed & hæc nomina, quæ in nobis significant accidentia, in Deo significare essentiam ejus: eamque ob causam non solum concreta, sed

etiam

tiam abstracta taliũ nominum de Deo prædica-
ri. Et adducit sententiam Leonis dicentis: nemo
hominum veritas, nemo sapientia, nemo justitia
est, sed multi participes sunt veritatis, sapientiæ
atque justitiæ: solus autem Deus nullius parti-
cipationis est indigens, de quo quicquid digne
utcunque sentitur, non qualitas est, sed Essen-
tia. Extat ea de re notabilis sententia Scal. ex.
365. l. 6. Quoniam Deo multa attribuuntur ut
omnipotens, omnisciens, misericors, pius, ju-
stus, vindex, sanctus, fortis, immortalis, bonus,
primum Ens: haud recte extorsit usus, ut sic lo-
queremur. Si enim denominative de eo quippi-
am prædicaretur: abstractum esset, tum aliud ab
ipso, tum ipso prius. Quod sane impium est.
Quare neque ens est, sed essentia, neque bonus,
sed bonitas: neque sapiens, sed sapientia: neque
omnipotens, sed omnipotentia. Quæ ita in ipso
sunt, ut sint ipsum. Ita insunt: ut nihil antece-
dat, nihil subsequatur.

Hæc vero attributa Dei non sunt unius mo-
di: quædam enim attributa conveniunt Deo ab
æterno, absolute, & sine ordine ad creaturas,
alia vero non nisi in ordine ad creaturas conve-
niunt. Ita infinita sapientia, voluntas, omnipo-
tentia Deo absolute conveniunt sine ordine ad
creaturas. Bonus enim, sapiens, infinite perfe-
ctus esset Deus, si vel maxime creatura non es-
set. At vero ut dicatur creator, esse ubique &
ejusmodi attributa Deo conveniunt in ordine ad
creaturas: creator enim dicitur cum respectu ad
terminum, quia condidit & creavit omnia de
non esse ad esse producendo. Ubique esse dici-
tur in ordine ad locum: qui enim ab æterno est
infinitus & immensus cum non esset locus &
spatium ullum: is in tempore dicitur ubique,

seu omnipræsens, quatenus omnibus locis in tempore factis est præsens, & cœlum ac terram sua præsentia implet & replet. De his nominibus quæ Deo tribuuntur ex tempore per relationem ad creaturam, vid. Fr. Suarez disp. *Metaph.* 47. f. 15. n. 15. & seq. Alia attributorum divinorum habetur distinctio apud Theologos, quam etiam attingit Zanch. de nat. Dei lib. 1. cap. 1. & est, quod attributa Dei quædam ita sunt propria Dei ut neque creaturis ullâ possint ratione attribui, nec ullum ad eas habeant respectum, ac proinde meram duntaxat Dei naturam dicant, qualis est in se: ejusmodi sunt immensitas, æternitas, summa simplicitas. Alia vero sunt quæ licet simpliciter & eadem ratione creaturis non conveniunt, ex parte tamen & secundum quandam similitudinem creaturis etiam tribuantur. Ut summa sapientia omnipotentia, solius Dei est propria: sed & creaturis quædam sapientia, quædam potentia tribui recte poterit. Vide Zanch. de variis divinorum nominum & attributorum generibus de natura Dei lib. 1. cap. 4.

Ubi tamen hoc observandum, attributa divina de Deo prædicari jam in abstracto jam in concreto: in abstracto, ut tum simplicitas & perfectio divinæ naturæ, tum etiam quod sit fons omnis vitæ, bonitatis & sapientiæ, hinc intelligatur. In concreto vero subsistens & ὑφιστάμενον inde cognoscatur.

Annon vero, inquis, ea attributorum multitudo pugnat cum simplicitate Dei? absit ut id dicamus. Essentia enim Dei maxime simplex, est libera ab omni compositione tam essentiali & substantiali, quam accidentali. Substantiali:

tiali; concurrerent enim aliàs necessario ad esse hoc constituendũ partes, è quibus constat compositum. Esset ergo aliqua causa Dei: non ergo prima causa Deus: alia ergo causa prior: alius ergo Deus, hoc Deo prior. De quo quia simili ratione quæreretur, fieret tandem processus in infinitum. Subsistamus ergo necesse est, in prima causa absoluta & independente absolutè & simpliciter: quæ cùm Deus sit, non potest habere causam vel à qua sit, vel è qua sit & constet. Simplex ergo erit secundum substantiam, quod causa non sit e qua constaret. Sed nec accidentia Deo possunt convenire: quod in Deo nulla sit mutatio. Ea vero accidentium est ratio, ut adesse & abesse possint: quod mutabilitatem subjecti designat. Vide de Dei simplicitate Thom. 1. p. q. 3. & è nostris Theologis Zanchium de natura Dei li[illegible] c. 2. pluribus differentes.

Dices: multitudo attributorum importat multitudinem rerum: multitudo rerum sine compositione esse nequit. Respondet Zanch. de nat. Dei lib. 1. q 4. Causa multorum & variorum nominum in Deo nostra fuit imbecillitas. Non enim ideò imposita sunt, ut significaretur ipsa multas in Deo esse virtutes (est enim una duntaxat ad omnia idonea & sufficiens) sed propter nostrum captum ut scilicet quod uno non poteramus nomine, variis id nominibus possemus percipere. nempe quis, & qualis sit Deus. Nam si essentiam Dei, ut se habet, possemus uno intuitu seu uno actu intellectus percipere, non multis & variis opus fuisset nominibus ad eam nobis utcunque indicandam: sed unum duntaxat nomen satis fuisset nobis. Dices: Deo convenire partes, & affectus: quarum illæ sint argumentum compositionis essentialis, ne-

accidentalis. Ita deo tribuitur anima, oculi, brachium: ira, odium, amor, pœnitentia. Respondetur partes Deo assignari per ἀνθρωποπάθειαν, tradit enim nobis sacra scriptura spiritualia & divina sub similitudinibus corporalium. Ita partes corporeæ attribuuntur Deo in scripturis ratione suorum actuum, secundum quandam similitudinem: sicut actus oculi est videre, unde oculus de Deo dictus significat virtutem ejus ad videndum modo intelligibili non sensibili. Sic anima Deo tribuitur, per similitudinem actus: quo enim volumus aliquid, nobis ex anima nostra est: unde illud dicitur placitum esse animæ Dei, quod est placitum voluntati ipsius. Heb. 10. v. 38. Eadem aliarum partium est ratio. Ita Epiphanius hæres. 69. dicit: si pater carnem non induit, dixit autem hoc, Quem dilexit anima mea, figurate hoc circa Deum dicitur, ut ratificaretur veritas & ut ostendat erga filium ingenuitatem. Et sicut hic dicit: Dilexit ipsum anima mea: Sic dicit, Juveni David filium, esse virum secundum cor meum, & cor meum longe abest ab ipsis. Si itaque eo quod figurate dictum est, Quem dilexit anima mea, accipimus hoc de anima: ergo etiam de corde figurate dictum est, & nimirum omnibus intelligentia præditis clarum hoc fuerit. Vide Cornel. Agripp. de membris Dei de occult. Philisoph. lib. 3. cap. 13. De affectibus respondemus, iram, pœnitentiam, & similia affectuum nomina Deo convenire non secundum affectum, sed secundum effectum: non enim in ira divina est motus ille sanguinis circa cor, & quæ aliæ in nostris affectibus sunt perturbationes & commotiones. Hinc in addit. ad Lyram cap. 6. Genes. docetur: Pœnitentia & cæteræ passiones, in quantum defectum

fectum important, non dicuntur esse in Deo, nec secundum rem, nec secundum similitudinem. Unde verius & tutius dicitur, quod hujusmodi passiones dicuntur de Deo secundum similitudinem effectuum, scilicet quod à Deo producuntur effectus similes effectibus à pœnitente productis. Inde 1. Sam. 15. v. 11. Deus Samueli dicit, pœnitet me quod constituerim Saul Regem. Et tamen postea eodem cap. v. 29. De Deo dicit Samuel, neque enim homo est, ut agat pœnitentiam. Aperte hinc patet, Deo non tribui pœnitentiam ejusdem generis & rationis cum pœnitentia, quæ homini convenit.

Dices: quod in uno est accidens, in alio non potest esse substantia. Regula vera est de iis, quæ ejusdem sunt generis & rationis. At vero aliter sese habet sapientia & bonitas divina, atque humana: illa enim est bonitas & sapientia essentialis, hæc non nisi per quandam similitudinem & imitationem. Ita Thom. 1. p. q. 3. art. 6. ad 1. dicit: virtus & sapientia non dicuntur univoce de Deo & de nobis: unde non sequitur, quod accidentia sint in Deo, sicut in nobis. Apponam huc quæ eleganter ea de re sunt disputata ab Augqst. Nipho Suessano distruct. Averr. disp. 6. (mihi) pag. 215. Sed dices, quod vere est nulli accidit, & è contra, quod alicui accidit nulli est substantia. Sed scire est accidens homini, ergo non potest esse substantia in Deo. Dicendum, quod scire cum est homini accidens, illud idem numero, vel specie, vel genere nulli est substantia, attamen illud met æquivoce, vel analogice, potest esse in Deo substantia: quoniam scientia non dicitur univoce de scientia nostra & ipsius Dei, ut bene dicit Averr. im-

mò nostra causatur à rebus, ideò est accidens. Illa est causa rerum, & ideo est substantia. Sed dices, saltem habet modum accidentis. Dicendum, quod accidens secundo (judico legendum, *duplex*) habet esse. Est enim non de intellectu ejus, cujus ponitur, & adventitium & superaddens aliquam perfectionem illi. Primum habet, prout non est prædicatum essentiale & quidditativum. Secundum habet, prout subjectum est imperfectum & limitati generis. Substantia enim, cum sit limitati generis, id est, non continet accidentis perfectionem totaliter secundum omnem modum, ut sic accidens advenit ei. Dico ergo quod accidens sc. scientia, prout est accidens in Deo habet primum modum: quoniam, non est de formali intellectu essentiæ & quidditatis primi, cum non sit prædicatum primi modi de Deo, ut etiam concedit Averr. 12. Metaph. com. 39 vide ibid. Ut vero secundo modo consideratur, sic transit in essentiam Dei cum essentia illa sit velut pelagus omnem perfectionem continens, ut perfectio est: ideo ibi accidens non habet rationem adventitii, & sic patet qualiter aliquo modo habet modum accidentis, & alio modo non.

Dices denique: Relationes esse in divinis, quæ tum accidentia sint, tum compositionem inferant. Dicam: Relatio in divinis non prædicamentalis sed transcendentalis: ea vero accidentalis non est, ut quæ non infert esse aliud à suis extremis, extrema enim immediatè ad invicem inferuntur, non per accidens à subjecto diversum. In genere vero de relationibus pronunciavit Zanchius de natura Dei lib. 2. cap. 2. qu. 1 Nullam relationem componere, sed tantum distinguere.

5. An

5. *An æternitas soli Deo conveniat?*

DUrationis genus triplex est: Æternitas, Ævum, & Tempus. Horum generum unumquodque existentiæ suæ conditionem sequitur: eo quod duratio nihil aliud est, quam essendi continuatio. Existentia vero Essentiæ comes immediatus est: eo quod supra essentiam nihil addit aliud, quam modum essendi rei cujusque extra nihilum, seu extra suas causas, Quemadmodum itaque Essentia & Existentia cujusque generis ita est comparata ut sit incommunicabilis; ita & duratio: eo quod duratio non designat esse aliud ab essentia rei cujusque. Itaque Æternitas, quæ est interminabilis vitæ tota simul & perfecta possessio, ut definit. Boët. de consol. lib. 5. convenit soli Deo: huic enim soli vita ejusmodi est conveniens, ut quæ caret principio, fine & successione: ea infinita vita est, infinitæ Essentiæ respondens, nulli creaturæ consentanea, ut quæ durationis æquè, atque essentiæ finibus est circumscripta. Angelis ævum convenit, fine carens & successione: ast non principio. Tempus vero corporibus tribuitur, quibus principium, finem & successionem pro naturæ cujusque conditione assignamus. Dices: circumcisionem fœdus æternum dici, & possessionem æternam terræ Cananeæ promitti Gen. 47. quorum neutrum vel sit Deus, vel sine successione & principio careat. Respondet Bonaventura in 4. dist. 3. nu. 46. Dicendum, quod, quando circumcisio legitur data in fœdus æternum, non oporteat intelligi ita æternum, quod careat fine. In eadem enim litera Dominus dicit, quod dat eis terram in possessionem æternam, & tamen con-

ſtat Abrahami poſteros Judæos terram promiſſionis non poſſidere : & propterea diſtinguendum eſt Æternum. Dicitur æternum tripliciter : aut quantum ad durationem, aut quantum ad finis indeterminationem, aut quantum ad ſignificatum. Primo modo dupliciter : aut quia caret principio & fine : Eccl. 18. qui vivit in æternum creavit omnia ſimul. Aut quantum ad privationem termini : Pſal. Statuit ea in æternum. Similiter ſecundo modo dupliciter : Aut quia non ita fit ſemel, quin oporteat fieri pluries : & ſic dicitur, ſerviet æterno, qui parvo neſciet uti. Aut quia non determinatur terminus : & ſic dicitur Sacerdotium Aaron æternum, quia non determinavit Dominus, quando ceſſaret. Tertio modo dicitur dupliciter : aut quia ſignificat æternum, & ſic eſt terra promiſſionis data in poſſeſſionem æternam Gen. 17. Aut quia ſignificat & ducit in cognitionem vitæ æternæ : & ſic dicitur circumciſio æterna. Ita illa Æternitas proprie & ſimpliciter ſumpta, quæ ſcil. caret principio, fine & ſucceſſione ſoli Deo eſt propria : ſed quæ dicitur per quandam ſimilitudinem & comparationem, ut vel longitudinem temporis, vel eiuſdem indeterminationem deſignet, ea æternitas vocatur non niſi ſecundum quid : hæc aliis etiam rebus tribui & aſſignari poterit. Vide Zanchium de nat. Dei. lib. 2. cap. 3.

6. *An Ubiquitas ſoli Deo conveniat?*

RErum & Entium in univerſum ordo ſeu reſpectus ad locum triplex eſt : Quædam enim dicuntur eſſe in loco circumſcriptivè, quædam definitive, tertius modus eſt eſſe in loco, ut aiunt, repletivè. Circumſcriptive in loco eſſe

esse dicuntur, quæ sunt ad certum locum determinata, ita ut spacium occupent, & habeant partem extra partem. Hic modus essendi in loco corporibus convenit: quæ propter finitudinem essendi, non nisi uno loco esse possunt ipsis adæquato, propter quantitatem vero & extensionem spatium & intervallum quoddam faciunt, & occupant, & partem habent extra partem. Definitivè in loco esse dicuntur Angeli: de quorum UBI notum est effatum Scal. exerc. 359. c. 5. quando ait: Ubietas est affectus Entis cujusque necessarii præter Deum. Dicuntur ergo esse in loco æquivocè, atque etiam plusquam æquivocè: quia sunt in suo Ubi: non per circumscriptionem, quemadmodum mea manus in aëre, sed per designationem. Et paulo superius: Angelus dicetur Ibi: sed per definitionem, per definitionem hunc ad modum, inquam: ibi est: hic non est. Hoc vero Ubi determinatum Angelorum sequitur naturæ finitudinem: quoniam enim Entia sunt finita, non possunt esse simul hîc & alibi: quia vero spiritus sunt, quibus extensio non convenit, inde fit, ut loco circumscribi proprie non dicantur. Repletivè esse in loco soli Deo convenit: quia ita est in loco, ut sit præsens in omni loco. Intra omnia, ut dicit Scal. in carmine addito ad finem exercitationum: sed tamen non inclusus in ipsis. Extra omnia: sed non tamen exclusus ab illis. Hic modus essendi in loco, & quidem omni loco, naturæ infinitatem & immensitatem sequitur: fieri enim nequit, ut infinita & immensa natura ad certum aliquem locum & Ubi redigatur, quo definiatur & circumscribatur. Aliquando aliter, eodem tamen sensu, hanc rem tradidit

Magister sententiarum lib. 1. dist. 37. cap. quibus modis. Duobus, inquit, his modis dicitur in Scriptura aliquid locale, sive circumscriptibile, & è converso, sc. quod vel quia dimensionem capiens longitudinis, altitudinis & latitudinis distantiam facit in loco, ut corpus: vel quia loco definitur ac determinatur, quoniam cum sit alicubi, non ubique invenitur: quod non solum corpori, sed etiam omni creato spiritui congruit. Omne ergo corpus omni modo locale est. Spiritus vero creatus quodammodo est localis, & quodammodo non est localis. Localis quidem dicitur, quia loci definitione terminatur, quoniam cum alibi præsens sit, totus alibi non invenitur. Non autem ita localis est, ut dimensionem capiens, distantiam in loco faciat. Divina ergo sola essentia omnino inlocalis incircumscriptibilis est, quæ nec locis movetur aliquo modo, scil. vel determinatione finita vel dimensione suscepta, nec temporibus, scil. affectu & cognitione.

Hic vero duæ occurrunt opiniones, exque oppositæ; altera ubiquitatem corpori Christi cum divinitate vult esse communem. Altera Deo etiam Ubiquitatem denegat. Prior opinio pugnat cum veritate corporis, & veritate Scripturæ. Requirit enim veritas corporis, ut certis terminis & limitibus circumscribatur, & corpus humanum, quia diversis partibus & membris constat, quorum non tantum unum sit specie ab aliis membris, sed & situ diversum, ut superiori quidem parte caput, infimo pedes, intermedio partes reliquæ collocentur, hæc situs ratio cum ubiquitate consistere nequit. Nec enim vel fingere licet, quomodo & situs cuique parti conveniens, & certa membrorum proportio

tio in ubiquitate conservari possint. Dices: Esse hoc argumentum philosophicum. Ita quidem, at sacris literis est conveniens, quæ docent, quod quemadmodum pueri communicaverunt carni & sanguini, & ipse similiter participavit eisdem: quodque debuerit per omnia fratribus similari, excepto peccato, Heb. 2. ac vero perit in totum similitudo ea, nedum per omnia locum habeat, si quidem nostra corpora loco sibi æquali astringere velimus, corpore illo ubique futuro. Et certus assignatur locus nativitatis, motus de loco in locum, negationis quod fuerit hic vel illic, certus locus passionis, & quæ sunt ejusmodi alia: quæ omnia falsa sunt, siquidem corpus ubique dicere velis: In ubiquitate enim certitudo & determinatio loci tollitur. Dices: pugnare cum unione hypostatica duarum naturarum inter se, & sessione ad dextram Dei, localem illam determinationem ad ubi. Absit, ut hoc dicamus. Unio enim consideratur vel ad intra, vel ad extra. Ad intra, respectu naturarum inter se, quæ sibi invicem sunt necessario maxima & indissolubili unione conjunctæ. At vero ad extra, hoc est, respectu creaturarum necessarium non est, ut ubi est una natura, ubi quoque sit altera, eo quod unio non tollit proprietates naturarũ, ut definitum in Synodo Chalcedonensi: finita vero est natura una, infinita altera, ratione finitudinis certum locum requirit natura humana, Deitate omnibus locis & creaturis præsente, intime etiam præsente, & natura indissolubili unione cum natura humana. Sessio vero ad dextram non legitur facta esse ubique, sed in cœlis, docente Apostolo Hebr. 8. v. 1. Talem habemus pontificem, qui consedit in dextra sedis magnitudinis-

tudinis in cœlis: & v. 4. negatur amplius esse super terram, si esset super terram, dicit Apostolus nec esset sacerdos. Dices: saltem diversus iisque pluribus in locis simul ac semel hoc corpus esse. At vero ea loci pluralitas pugnat cum unitate corporis unius ejusque continui & individui. Principio proprio, primo & per se atque immediato prohibetur corpus esse in pluribus ubi. Est autem principium hoc. Continuitas est affectus consequens immediate unitatem. Contradictiones enim sunt, unum est duo. Continuum non est continuum. Corporis igitur termini, si esset in duobus ubi, non essent continui, docet Scal. ex 5. s. 6.

Objiciunt in contrarium. Qui sedet ad dextram Dei est ubique, Christus homo in quantum homo, seu secundum humanitatem sedet ad dextram Dei. Ergo Christus homo in quantum homo, seu secundum humanitatem est ubique. Vitiosus syllogismus est & quoad formam, & quoad materiam. Quoad formam adversatur regulæ syllogismorum reduplicatorum, quæ est apud Aristotelem 1. prior. cap. 30 secundum distinctionem Averrois, vel cap. 36. secundum distinctionem aliorum. Verba sunt Τὸ ἐπαναδιπλούμενον ἐν ταῖς προτάσεσι πρὸς τῷ πρώτῳ ἄκρῳ θετέον: id quod in pronunciatis iteratur extremo priori conjungendum est; seu ut habet versio Averrois, reduplicatum in propositionibus ad primam extremitatem ponendum. Et eandem doctrinam repetit ad hunc locum è Græcis Alexander Aphrodisæus, & ex Arabibus Averroes: è recentioribus vero Joh. Regius disput. Log. lib. 4. probl. 8. pag. 214. tertio, inquit, huc pertinent Syllogismi reduplicativi, in quibus scil. majori extremitati reduplica-

duplicatio quædam additur. Hoc itaque modo, quando quæstio est, an Christus homo in quantum homo seu secundum humanitatem sit ubique, quæstionis subjectum erit Christus-homo, prædicatum vero an secundum humanitatem, seu in quantum homo sit ubique. Et ita jam è lege Syllogistica propositio in hunc modum erit formanda: Qui sedit ad dextram Dei, in quantum homo seu secundum humanitatem est ubique. Christus homo sedet ad dextram Dei; ergo Christus homo in quantum homo est ubique. Hic jam vero secundo loco, animadvertitur vitium in majori: est enim petitio in principio;: Eum, qui sedet ad dextram Dei secundum humanitatem esse ubique: ultro enim largimur, Christum ad dextram patris sedere secundum utramque naturam, sed negamus, inde humanitatis ubiquitatem sequi: nec enim sessio ad dextram Dei est propria ratio ubiquitatis, sed naturæ infinitas & immensitas. Atque adeo Christus, qui sedet ad dextram Dei, recte ubique esse dicitur: ita ut ratio ubiquitatis non sit sessio illa, sed naturæ immensitas, quia est Deus, qui nullis loci terminis circumscribitur. Quando vero ad humanam naturam transfertur: jam respondemus ex Epist. ad Hebr. 8. v. 1. talem habemus Pontificem, qui consedit in dextra sedis magnitudinis (non ubique, sed) in cœlis Et argumentationem in hunc modum esse instituendam quæstionis ratio postulat: nec enim dubium est an Christo homini conveniat esse ubique; sed determinate quæritur, an Christo homini conveniat esse ubique determinate, seu cum adjectione, secundum humanam naturam. Ac ita necessario formandus erit Syllogismus

secundum

secundum præscriptum modum. Quod si ita formetur Syllogismus integer: Qui sedet ad dextram Dei & secundum divinam & secundum humanam naturam, is non tantum secundum divinam, sed & secundum humanam naturam est ubique: jam patet manifeste, quia non jam cryptica est argumentatio, ut prius illud & secundum divinam & secundum humanam naturam ut conjunctim, ita & quando divisim in eorum argumentatione ponitur, pertinere ad prædicatum, non ad subjectum. Ita vero denuo negabitur propositio, quia fundamentum ubiquitatis non in sessione ea, sed in naturæ immensitate ponimus. Illorum vero argumentatio non erit absimilis ab hoc modo argumentandi: Qui est homo est mortalis, Johannes secundum animam rationalem est homo. Ergo Johannes secundum animam rationalem est mortalis. Negari non potest propositio: hominem esse mortalem: ita enim testatur experientia. Sed nec assumptio in dubium vocari: individuis enim omnibus & singulis competit esse specificum ratione, formæ adeoque esse humanum ratione animæ humanæ rationalis. Falsa tamen est illatio: quia propositio, quæ erat accipienda limitate & strictè, indefinite sumitur: ita enim erat formanda: qui est homo mortalis secundum animam rationalem, hoc enim erat prædicatum quæstionis seu conclusionis ponendum in majori. Et subsumendum: Iohannes est homo. Ergo Iohannes est mortalis secundum animam rationalem. Falsa conclusio, illata è propositione falsa: quæ jam erat. Hominem esse mortalem simpliciter, hoc est, secundum corpus pariter & animam.

Corrigenda vero ita: Qui est homo, est mortalis secundum id, quod est capax mortalitatis. Non vero simpliciter, secundum id omne quod est in homine, id est, secundum animam simul & corpus. In hunc itaque modum corrigenda est & prioris Syllogismi argumentatio: Qui sedet ad dextram est ubique, non simpliciter, sed limitate secundum id quod est capax ubiquitatis. Capax vero ubiquitatis non est natura humana, quia finita: sed divina tantum. Secundum eam ergo qui sedet ad dextram Dei, ubiquitatis etiam est particeps. Perpetuæ enim veritatis est regula Cyrilli in Iohan. (cap. 16) libr. 10. cap. 38. nullus ambigit (nisi forsan in hoc deficiat regula, quia nun inventi multi, qui ambigant), cum ad cœlos ascenderit, quamvis virtute Spiritus semper adfuerit, præsentia tamen carnis ipsum abfuisse. Vide eund. lib. 11. cap. 3. 10. 19. 21. Theodoret. dial. 2. qui inscribitur Inconfusus. Fulgent. lib. 2. ad Trasimundum. Vigil. lib. 1. & lib. 4. contra Eutychem.

Est & altera ex parte inventus hodie, qui infinitatem negavit, ut negaret ubiquitatem: hæc enim ex illa sequitur: utrumque vero in dubium revocat. Infinitatem negat, quod 1. in Scripturis non doceatur. 2. quod ab Angelis videatur. 3. quod ad impossibilia non extendatur. 4. quod sit hoc aliquid. At vero primum falsum in Scripturis non doceri. Ita enim Ps. 144. v. 3. scriptum est. Magnus Dominus & laudabilis nimis, & magnitudinis ejus non est finis. 2. Videtur ab Angelis non secundum omne quod est: ita enim non nisi à se solo cognosci & videri potest: sed secundum gradum

beati-

beatitudinis, qui Angelis convenit. Infinitatem non metimur ex imperfecta creaturæ vel cognitione vel visione, sed ex proprio essendi modo. 3. Et objectum omnipotentiæ non est impossibile: quod ut fiat est contradictorium. Potentiæ enim objectum est possibile, & omnipotentiæ objectum non est impossibile. Impossibilia vero ea esse dicimus, quæ contradictionem inferunt vel à parte Dei, vel à parte rei: quod à parte Dei imperfectionem inferant, cujusmodi sunt mori, mentiri, hæc enim in divinum esse non cadunt, eo quod non potentiam, sed defectum notant, qui in divinum esse non cadit. A parte rei, quæ tollunt esse rei, ut homo est irrationalis: prædicatum enim tollit subjectum, quia homo per essentiam est rationalis. 4. Hoc aliquid excludit infinitatem numeri non infinitatem essendi & perfectionis. Unus numero Deus est, non infiniti numero Dii: sed hic ipse omnes Entis gradus & perfectionis in se complectitur, & excedit omnia, à nullo vero exceditur: quin addam, nihil ratione esse & perfectionis in comparationem cum eo posse venire. Elegantia sunt verba Scalig. exer. 140. omnia, inquit, hæc, non dico singula: sed omnia, inquam, atque etiam cuncta & conferta ita ut ex iis fiat unum, si cum Deo conferantur non solum mutila ac manca, sed etiam nihil, atque sive liceat, sive non liceat dicere, minus quam nihil. Ubiquitatem negat: quod in cœlis legatur esse Deus, sed ita in cœlo Deus, ut tamen cœlo non contineatur. Cœlum & terram ego impleo, dicit Dominus Jerem. 23. v. 24. Et Salomonis effatum est. 1 Reg. 8. v. 27. Cœlum & cœli cœlorum te capere non possunt, quanto magis hæc domus, quam

ædificavi.

ædificavi tibi. In cœlo vero esse dicitur, tanquam in throno & sede magnitudinis suæ, ubi se clarius & efficacius revelat, qua re vide Zanch. de natura Dei libro 2. capite 6. quæstione 3.

7. *An divina providentia imponat rebus necessitatem?*

DIvinâ providentiâ omnia regi & gubernari Theologi pariter & Philosophi agnoscunt. Ea vero tria in se complectitur. Præscientiam, Voluntatem, & Directionem. Præscientia in Deo dicitur, non à parte Dei, ita enim præsens coram omnia intuetur: sed in ordine ad res, quantum quia una est posterior altera in fieri, inde præsentia vocatur, quæ in Deo simplex est scientia quatenus eorum quæ scit Deus quædam adhuc sunt futura, & collatione facta ad res alias longo post tempore futura. Hinc Scalig. dixit exer. 365. s. 8. ne verbum quidem illud prævidere. Dei convenit omnipotentiæ: nisi quod mutila nostra intellectione metimur infinitatem: nobis quidem, quibus est futurum, prævisio illa est: Deus cui nihil futurum est, non prævidet, sed videt simplicissimè, quod est præsens. At omnia præsentia. Est vero hæc scientia conjuncta cum voluntate, non enim est scientia contemplativa & otiosa, sed quæ est ordinata ad actionem & opus. Nihil vero contra & præter divinam voluntatem fieri potest: hæc quippe prima regula & mensura omnium agendorum est. Inde sequitur directio & gubernatio, tum respectu finis in quem scilicet Deus æterna & immutabili lege omnia, quæ ad suum debitum finem ordinat & dirigit; tum

respectu

respectu mediorum, in quantum omnia, quæ ad finem consequendum sunt necessaria, media præparat, secundum regulam: qui destinat ad finem, destinat ad media: finis enim non excludit, sed necessario includit media. Inde vero quæritur, cum divina præscientia falli non possit, & vero prævidet omnia, eo quo futura sunt modo, annon providentia rebus imponat necessitatem? Hic respondendum, de effectu unoquoque nos loqui posse duobus modis vel in ordine ad causam proximam: quemadmodum causa agit vel natura, vel consilio: ita effectus vel necessario, scilicet necessitate naturæ producitur; vel libere & contingenter, quando causa agit vel consilio, vel effectus posita causa non necessario sequitur. Et hoc sensu proprie intelligimus, quando effectum vel necessario vel contingenter fieri dicimus. Rem enim unamquamque communiter ratione suæ existentiæ solemus metiri è causa proxima. Hoc modo sol necessario lucet, & non potest non lucere: quia lucere est effectus solis ab eo naturaliter resultans. At proficisci de loco in locum, contractus & commercia exercere, sunt effectus, qui possunt aliter atque aliter sese habere, quoniam à voluntate libera dependent. Et hoc modo effectus causarum secundarum non immutat causa prima: nec enim vel cogit vel destruit influxum causarum secundarum, sed eum ipsum influxum conservat & juvat, concurrendo prout idipsum conditio causarum secundarum requirit. Quod vero prima causa est infallibilis, id importat necessitatem non consequentis, ut loquuntur, sed consequentiæ, hoc est, necessitatem secundum quid: quæ scilicet est necessitas ex hypothesi seu conditione, & non sequitur immediate conditionem

tionem causæ & effectus inter se relatorum & consideratorum, sed respectum ad primam causam, quæ omnia ut jam præsentia ut existentia intuetur. Vide Perer. in phys. lib. 9. c. 13. Dices: Si Deus omnia intuetur prout sunt in se: ergo & mala prævidet; quæ quum fieri non impediat, annon causa erit peccati? Et quomodo is, qui electorum suorum videt mala, non liberat suos à malo? De priori dicit August. in Euchr. ad Lau. capite 104: hæc sunt magna opera Dei exquisita in omnes voluntates eius: & tam sapienter exquisita, ut cũ angelica & humana creatura peccasset, id est, non quid ille, sed quod voluit ipsa fecisset, etiam per eandem creaturæ voluntatem, qua factum est, quod creator noluit impleret ipse quod voluit: bene utens & malis tanquam summe bonus, ad eorum damnationem, quos juste prædestinavit ad pœnam, & ad eorum salutem, quos benigne prædestinavit ad gratiam. Quantum enim ad ipsos attinet, quod Deus noluit fecerunt: quantum vero ad omnipotentiam Dei, nullo modo id efficere valuerunt. Hoc quippe ipso quod contra voluntatem Dei fecerunt, de ipsis facta est voluntas ejus; propterea namque magna opera Domini exquisita in omnes voluntates ejus, ut miro & ineffabili modo non fiat præter eius voluntatem quod etiam contra eius fit voluntatem; quia non fieret si non sineret; nec utiq; nolens sinit, sed volens. Nec sineret bonus fieri malum, nisi omnipotens etiam de malo facere posset bene. Sensus est: Deus non facit mala; id enim repugnat summo bono: permittit tamen mala fieri, quia è malitia novit eruere bonum.

8. *An Deus sit causa peccati?*

QUæstionem alias formant generaliter, an Deus sit causa mali? Et distinguunt malum in malum culpæ & malum pœnæ. autorem faciunt Deum, tanquam justum judicem. Non mali culpæ. Differunt vero malum pœnæ & culpæ in hoc, ut annotavit Zanchius in Tom. 4. operum lib. 1. cap. th. 8. 1. quod propriè culpa malum est in ipsa hominis actione: pœna autem in ipsa substantia. 2. quod culpa est ex voluntate, pœna contra voluntatem. Denique quod culpa proprie in agendo est, pœna in patiendo. Jam mali pœnæ author potest esse Deus: nec enim malum est absolute & sua natura, sed actus justitiæ distributivæ malis actibus debitum suum reddens, ad bonum universi, vel ad emendationem singulorum. Infligitur enim pœna, vel ut sit exemplo aliis, ne in eadem peccata incurrant: vel ut sit castigatio, ut pecata in posterum vitemus, & ab iis abhorremus. Pœna ergo est malum secundum quid, respectu nimirum ejus, cui infertur, huic enim infert disconvenientiam, eo quod est corruptiva & destructiva naturæ.

In malo culpæ tria distinguunt: actiones seu motus impiorum. 2. malitia actionum seu motuum, & 3. judicia occulta, quæ Deus per malas illas actiones seu motus vel ad puniendos impios, vel ad beneficiendum piis exequitur ut videre est apud Paræum in Irenico cap. 28. art. 3. Motus seu actio ipsa naturalis est, & à principiis naturalibus oritur: quomodo visio oritur ab anima mediante organo oculi. Hæc a-

ctio

ctio suâ natura bona est, vel saltem indifferens, si morale actionis spectare velis, ea enim & benè & male uti possum. Tendit enim visio ad bonum corporis. si recte utamur: at scandalo est & offendiculo, si ad vanitatem attendat. Quod Christus dixit *Matth.* 6. v. 22. & 23. Lucerna corporis est oculus: si igitur oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit, si autem oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum erit tenebrosum. Ad hanc actionem sua natura bonam concurrit Deus: nec enim actio vel motus nullus fieri potest, sine Dei concursu, dicente Paulo Act. 17. in ipso movemur. Malitia vero est *ἀνομία* seu defectus à lege, seu privatio bonitatis debitæ in esse. Ut motus manus sua natura bonus est: sed si motus ille fiat contra dilectionem proximi, ut ipsi noceamus, malum vel cædem inferamus ex odio adversus ipsum concepto, hæc jam malitia est: eaque est formale peccati, ut quæ adversatur primæ regulæ seu mensuræ omnium actionum nostrarum, quæ est voluntas divina. Quando enim actio nostra est conformis primæ voluntati, jam bona est: quando ab ea dissentit & est difformis, jam hæc privatio seu defectus, seu difformitas & deformitas actioni confert peccati denominationem. Hæc malitia non potest cadere in Deum: sed creaturæ propria est. Defectus enim & privatio bonitatis in Deum cadere non potest: pugnat quippe cum excedente bonitate in bono deficere & carere aliquo bonitatis et perfectionis gradu, eo quod infinite bonum esse non potest, cui aliquis bonitatis gradus deest. At creatura, cujus bonitas determinata; quæque et labilis est sua natura, et lapsa est, huic non adversatur et agere bene, et à

malo

malo deficere, & carere gradu bonitatis debitæ inesse. Itaque hoc formale totum ad creaturam refertur. Denique tertio assignari recte possunt Deo occulta judicia, quæ in hominum peccatis justissime exercet Deus, ea ad bonum finem dirigendo & ordinando. Ita scriptura in venditione Iosephi coniungit actionem fratrum Iosephum vendentium, & actionem Dei ordinantis hanc venditionem ad finem bonum, ut fieret Dominus Ægyptii. Quod Iosephus ipse docet Gen. 50. v. 19. & 20. nolite timere, num Dei possumus voluntati resistere? vos cogitastis de me malum: sed Deus vertit illud in bonum, ut exaltaret me, sicut in præsentia cernitis, & salvos faceret multos populos. Mala erat actio fratrum, quia nascebatur ex odio adversus fratrē concepto: at intentio Dei bona erat, permittentis vendi Iosephum, ut ita in Ægyptum descenderet, eiusque fieret Dominus. Dices: non esse facienda mala, ut veniat bonum. Ita non furandum, ut des eleemosynam. Concedimus: sed Deus non facit malum, verum malum in quod inclinat & fertur sua natura homo, quodque volens & sciens committit, Deus permittit, & è malo non à se, sed ab homine facto, pro sua sapientia & potentia bonum eruit.

9. *An creatio actio sit soli Deo conveniens?*

ANTE omnia cognoscendum est, quid creatio sit & dicatur, ut de hoc admirando genere actionis rectius statuere possimus. Tho. 1. p. quæ. 65. art. 3. creationem ita describit. Creatio est productio alicujus rei secundum suam totam substantiam, nullo præsup-

posito

posito, quod sit vel increatum, vel ab aliquo creatum. Sensus est: Creari dici illud, quo de non esse ad esse simpliciter producitur, nulla præjacente materia, è qua fiat. Hæc descriptio immediatæ tantum creationi convenit, quæ nullam plane materiam præsupponit. Sed recepta est distinctio creationis in Immediatam, & Mediatam. Illam dicunt, quando fit creatio nulla præjacente, vel præsupposita materia. Mediatam vero, quando fit è materia quidem, sed non disposita naturaliter ad hoc opus, quod inde producitur. Ita dicitur Deum creasse hominem, Gen. 1. v. 27. quem tamen formârit è limo terræ. Gen. 2. v. 7. Ita quando Christus ex aqua fecit vinum, hæc creatio mediata, à nonnullis dicitur. Inde alii generalius describunt, quod scilicet creatio sit actio Dei, qua immediate per se, res à non esse ad esse sine alteratione, pro sua libera voluntate producit: idque aut ex nulla prorsus præexistente materia, aut in materiam jam à se creatam formam è nihilo creatam introducendo.

Hæc vero actio Dei, creatio nimirum differt ab actionibus naturalibus & artificialibus: 1. Quod ejusmodi actio non fit, nisi è præjacente materia; actio vero divina etiam non præjacente materia locum habet. Nam de actione naturali & artificiali verum & tritum illud: E nihilo nihil fit. Natura siquidem & artifex necessario materiam prærequirunt, è qua opus suum producant; eo quod horum actio est determinata & definita, ut non fiat è quovis quidvis, sed è determinata materia. At vero potentia Dei est infinita, nullis legibus & terminis circumscripta, indeque fit ut è quovis quidvis possit producere; è lapidibus

etiam

etiam suscitare filios Abrahæ, Matth. 3. versic. 9. Sed non ita naturalia, quæ et requirunt materiam et quidem materiam determinatam. 2. Generatio omnis est cum prævia alteratione, et ita fit cum motu et successione: quod patet in productione rerum, quæ certum definitumque tempus, et certas dispositiones requirunt, per quas de potentia in actum deducantur. At vero Deus dicendo, hoc est, verbo solo produxit omnia: dixit Deus, et factum est. Quo ipso docetur et productionis facilitas, quæ est sine conatu, motu, et successione: et esse completum ejus, quod productum est: quia factum esse notat complementum ejus, quod factum esse dicimus. Bonaventura in 2. d. 5. nu. 41. in eo dicit differre: quia generatio non est secundùm totum, imo aliquid præexigitur de generando cujus est ἐντελέχεια ipsa generatio natura præcedens ipsam formam: ac per hoc diversitatem notat. Non sic creatio, secundum quam fit tota rei substantia à vertute divina immediate, quæ rem creat, volendo eam primò esse cum non sit. Hanc vero vim et facultatem creandi esse creaturæ incommunicabilem statuimus. At vera est et certa doctrina de facto nullam creaturam aliquid creasse: solum enim Deum omnium Creatorem fides agnoscit, et sancti omnes docent, inquit Suarez. disp. Metaph. 20. sect. 2. Et ex eodem principio, inquit, eadem fere certitudine colligitur nullam creaturam de facto habere potestatem creandi, quia non est verisimile, dedisse Deum alicui creaturæ hanc potestatem, et non concedere seu permittere illi usum eius: quia alias frustra esset talis potentia in natura rerum. Incommunicabilem vero creaturæ hanc esse creandi potentiam, ex
eo

eo manifestum est: Potentia creandi est potentia infinita: eo quod infinita distantia est inter Ens & non Ens: eam infinitam distantiam conjungere, nonnisi à virtute infinita fieri potest, Infinita potentia est incompassibilis cum creatura, quæ quemadmodum habet essentiam finitam, ita nonnisi finitam potentiam potest admittere. Posse enim sequitur esse: fieri ergo nequit, ut esse finitum habeat potestatem infinitam. Esset enim potentia nobilior principali agente, essentia scilicet, quæ potentiam deducit in actum. Vide multis de hac quæstione ex professo disserentem Fr. Suarez. loco jam citato.

10. *An termini Logici etiam Deo conveniant?*

LOgicam universalem esse disciplinam docent Philosophi, eamque Enti & non Enti convenire Ramæorum est effatum. Hinc non immerito poterit dubitari, an termini Logici Deo etiam recte possint tribui, quodque hinc sequitur, an in rebus divinis rationibus etiam & argumentis Philosophicis aliquis concedendus sit locus? 1. Hic primo distinguendæ sunt quæstiones, quæ in controversiam veniunt; aliæ sunt quæstiones puræ, aliæ mixtæ. Quæstiones puræ sunt in quibus nec subjectum, nec prædicatum habet terminum Philosophicum, sed uterque è Theologia est desumptus ut Christum esse incarnatum, in mysterio Trinitatis unam Essentiam ex æquo covenire tribus personis divinitatis, & quæ eiusmodi quæstiones aliæ. Aliæ sunt mixtæ, in quibus subiectum vel prædicatum est terminus Phylosophicus: ut an corpus Christi, quod videbant & palpabant discipuli

puli, fit phantasia, nec ne? De priori quæstionum genere, Philosophia nihil potest statuere demonstrative, sed universam veritatem petit & depromit è Theologia, ut quæ divinorum mysteriorum revelationem sola in se complectitur, & qua tacente mysteria illa nobis plane essent ignota & abscondita. Nihil tamen impedit, quo minus similitudinibus è natura desumptis, & è Philosophia depromptis, hæc mysteria declaremus & illustremus, propter intellectus nostri infirmitatem: qui quia non potest divina cognoscere prout sunt in seipsis, similitudine quadam à nobis concipiuntur. De his mysteriis intelligimus illud Apost. 2 Cor. 10. in captivitatem redigendum esse intellectum in obsequium Christi: ut ne scilicet è nostro cerebro & ingenio mysteria divina metiamur: sed in totum è scriptura decidamus, & secundum ejus præscriptum de iis agamus & loquamur. Quando vero de veritate ipsa jam constat, similia adhiberi nihil impedit, per quæ veritas jam cognita illustretur. Alia vero est ratio quæstionum mixtarum, de quibus quando jam constat è scriptura, quod quæ in ea de terminis dicuntur, secundum communem naturæ cursum & usum dicantur, non opus est miracula fingere, ubi scriptura nulla miracula agnoscit. Indeq; fit ut rationes & argumenta dextre adhibere possimus, dummodo scriptura contrarium ne doceat, verbi gratia, quæritur, an corpus Christi ubique? scriptura docet esse hoc corpus ejusdem rationis cum coporibus nostris. Ita enim scriptum est Hebr. 3. ubi ex eo quia fratres dicimur, & ego ac pueri mei mecum, in scriptura de Christo legitur, argumentatur: quia ergo pueri communicaverunt carni & sanguini, & ipse

ipſe ſimiliter participavit eiſdem &c.debuit per omnia fratribus ſimilari. Conſtat ergo è Scripturis Chriſtum habere carnem & ſanguinem ejuſdem naturæ, rationis ac conditionis cum noſtra carne ac ſanguine, & ita ex identitate naturæ recte poſſumus ſtatuere de corpore Chriſti, non eſſe illud ubique, quia nec noſtra corpora niſi certo loco eſſe poſſunt. Ita Chriſtus hanc veritatem ſuæ carnis allegat Luc. 24. v.39. Videte manus meas & pedes quia ego ſum: palpate & videte, quia Spiritus carnem & oſſa non habet ſicut me videtis habere. Hic Chriſtus veritatem ſui corporis docet teſtimonio ſenſuum, ut qui arguant carnem & oſſa, quæ phantaſmati non conveniant. Ita ergo quando è Scripturis conſtat de termino è Philoſophia deſumpto, quod ſit & dicatur de re in Theologicis propoſita ſecundum curſum naturæ, rectè de eo poterimus philoſophice argumentari & diſputare, Scriptura non adverſante.

2. Duplex eſt modus ſecundum quem verſamur in rerum cognitione: aut pe ἀνασκευὴν aut κατασκευὴν, hoc eſt, jam rationibus & argumentis noſtram ſententiam & opinionem aſtruimus & confirmamus, jam aliorum argumenta, & rationes deſtruimus ſeu ſolvimus & refutamus. Poſterior modos maximè eſt neceſſarius etiam in rebus divinis, ut quando Philoſophi ſuas rationes & argumenta è natura deſumpta & deprompta myſteriis in Scriptura revelatis opponunt: hic n. neceſſarium eſt Logicæ & ſanioris Philoſophiæ beneficio docere, quouſq; principia & rationes ſeſe extendant, quodque locum & veritatem obtineant, ſi intra limites & terminos ſui generis ſeſe contineant, non vero ita, ſi rebus altioribus & divinioribus opponantur.

nantur. Ita quando Samosatenus disputat: ubi est generatio, ibi est mutatio. In divinis non est mutatio. Ergo in divinis non est generatio. Respondet Junius de Trinit. defens. 1. propositionem esse intelligendam de generatione physica: in ea est mutatio, motus, successio, terminus, diversitas naturæ. At vero aliam esse rationem generationis divinæ, ubi generatio non fit per potentiam superadditam, sed per naturam, sine ulla mutatione, principio, fine. Hic Logica agit quod suum est: audit Philosophum naturalem differere de generatione quadam corporum: audit & Theologum differere de quadam generatione divina: comparat inter se subjectum, & discernit & judicat de iis, quæ sunt toto genere diversa non esse idem ferendum judicium & sententiam. Et ita hæreticum refutat, qui de genere diversis, eodem vult argumentari modo. At vero alia est ratio mysteriorum è Philosophia probandorum, quod non licet: præcedat Theologia subsequatur Philosophia. Itaque placet mihi judicium Fr. Junii de Trinit. defen. 3. sect. 4. Judicium & sensum fidei non negamus juvari exemplis & documentis à natura sumptis: at judicium naturæ ex rebus naturalibus, infirmis, variis, obscuris, incertis fallacibus, de rebus divinis potentissimis, immutabilibus, perspicuis, certis, veris primo & per se judicare, & regulam esse judicandi, nemo homo, si sanus est affirmabit. Res Metaphysicas Physicis judicari nunquam concedes oportere; & divinas ex eis affirmes judicandas?

3. Quod vero in specie attinet ad terminos Logicos, de iis non indifferenter est statuendum: nec enim eorum una est ratio. Alii enim

nim eorum denotant, perfectionem, alii imperfectionem designant, quidam ab imperfectione & perfectione abstrahunt. Qui perfectionem denotant, Deo eminenter conveniunt: qui imperfectionem designant, Deo non tribuuntur: qui ab utroque abstrahunt, quando Deo tribuuntur non univocè, sed per quandam analogiam & proportionem conveniunt. Causarum notio Deo convenit eminenter: est enim prima causa, causa sine causa, à qua sunt omnia, & in quam tanquam ultimum finem tendunt omnia. Accidentis notio Deo non competit: est enim pura essentia expers omnis mutabilitatis. At vero accidens mutabilitatis radix est. Relatio abstrahit à perfectione & imperfectione: hinc relationes Deo conveniunt. Sed relatio divina non est prædicamentalis, hoc est, per additamentum, sed transcendentalis, secundum quam personæ immediate referuntur. Sic quæritur, an notio generis Deo conveniat? Dicendum, cum Deo cum creaturis commune nihil univoce assignari possit: Essentiæ enim identitas infinito & finito competere nequit: inde genus univocum tribui Deo nequit. Quod si tamen quidam communes conceptus tribuuntur, ii analogiam & proportionem quandam referunt: indeque hodie dicitur Deo genus analogum, seu ut alii loquuntur, genus imperfectum convenire, hoc est, conceptus eos communes Deo convenire eminenter, creaturis per participationem. Ita substantia Deo tribuitur non ejusdem rationis cum substantia creata: indeque ὑπερουσίαν substantiam Dei nominant, & ὑπερούσιον esse Deum asserunt.



CAP.

CAPVT. II.

De Angelis.

Theorema secundum.

Spiritus creatus est Spiritus à Deo dependens.

2. *Estque vel Completus, vel Incompletus.*

3. *Completus est, qui non est pars alterius, sed se solo constituit suppositum: & vocatur à Philosophis Intelligentia, ita dicta à perfectione illa, qua ducitur in amorem primæ causæ, cui præsto semper est, ut vult Scal. ex. 359. s. 1.*

4. *Intelligentiarum duo sunt ordines primarii apud Scholasticos: cœlestes, & supercœlestes. Scal. ibid.*

5. *Cœlestis officium est movere suum cujusque orbem. Ita enim Peripatetici volunt, intelligentiam esse formam cœli assistentem, quæ ipsi motum & operationem largiatur. Vide Archang. Mercen. dilucid. sect. quæ sit cœlestis corporis forma pag. 93. & seqq.*

6. *Supercœlestis assistit primæ causæ, ut ejus jussu etiam res hasce procuret inferiores, earum rectioni præfecta atque conservationi. Quæ fuit causa ut à Græcis Angeli vocarentur, quia mitteret eos Deus Scal: cit. exerc. 359. Ac hæc descriptio proprie convenit Angelis vel secundum primum creationem, in quantum omnes boni creati sunt: vel tantum bonis, qui in veritate perstiterunt.*

7. *Sunt vero præter hos Angeli mali, qui non servaverunt principatum suum, sed dereliquerunt suum domicilium, in judicium magni Dei vinculis æternis sub caligine reservati, ut docetur in Epist. Judæ.*

8. *An-*

8. *Angelorum considerandi affectus, & functiones.*

9. *Affectiones sunt vel communes, vel speciales.*

10. *Commune cum omnibus creaturis est esse finitum: adeoque esse in certo ubi, ut cum sit hic, non sit alibi Angelus. Vide Scalig. exerc. 359. sect. 3. et 5. et dependens quod sequitur esse sua natura corruptibiles: non corrumpuntur autem Angeli, quia non vult. Idem ex. 307. sect. 20.*

11. *Affectiones quas habent communes inter se sunt: Ævum, simplicitas, et esse Intellectuale.*

12. *Ævum est duratio Spirituum creatorum propria tempore nobilior, secundum quam propriam essendi continuationem habent. Scal. exerc. 359. s. 7.*

13. *Simplicitas est affectio, qua compositionem excludunt, ut non habeant ullam suæ substantiæ partem alia priorem.*

14. *Esse intellectuale est, secundum quod et seipsos, ac quæ sunt ab ipsis alia cognoscendi: et quod hinc sequitur, agendi facultatem, et arbitrii libertatem obtineant.*

15. *Specialis bonorum Angelorum affectio est status in bono, et inde consequens amor Dei, et beatitudo: malorum vero contra perseverantia in malitia, et consequens odium Dei, et summa miseria.*

26. *Functio bonorum, est vel à parte Dei, vel à parte hominum: illa est assistentia Dei ejusdemque glorificatio: hæc est tum administratio Ecclesiæ, regnorum et provinciarum tum in specie ministerium, quod exercent propter salutem electorum Heb. 1.*

17. *Malorum functio contra describitur mendacio et homicidio- Ioh. 8. accusat enim electos, eorundemque perniciem desiderat, ac quærit, quos devoret leo ille rugiens. Ioh. 1. Apoc. 2. 1 Pet. 5.*

COMMENTARIUS.

THomas Bentius in elegantissimo illo commentario Marsilii in Conviv. Platonis orat. 6. c. 15, 16, 17. præclarum admodum discursum instituit de ordine corporis, animæ, Angelorum, & Dei inter se: quo demonstrat supra corpus esse animam, supra animam Angelum, & supra Angelum Deum. Corpus enim seipso non moveri, sed propter animæ præsentiam & moveri & vivere. Anima vero proprie vim seipsam movendi possidet. Supra mentem animæ quæ mobilis est, quæ pars, quæ intermissa, quæ dubia, ponendi est Angeli mens stabilis, tota, continua atque certissima. Sed enim Angeli mentem rerum illud principium, summumque bonum, quod in Parmenide Plato ipsum unum vocat, necessario supereminet. Hunc ordinem eam ob causam notare voluimus, ut constaret esse Intelligantias seu Angelos inter Deum-nostramque animam naturæ cujusdam mediæ: ut quantum ab infinita Dei perfectione recedunt ipsæ: tantum ratione complementi & perfectionis ab ipsis videatur recedere anima, videantur ex hac lege, quod esse quoddam suppositale seu personale obtinent Angeli, quod animæ, sive sit cum corpore conjuncta, sive ab eodem sejuncta & separata, quæ suppositum nunquam est, sed vel actu cum corpore conjuncta, alteram homi-

nis

nis partem constituit, vel separata aptitudinem nihilominus retinet, ut cum corpore denuo conjungatur. Ut vero de Intelligentiarum natura & conditionibus, quantum in hac ingenii nostri infirmitate & imbecillitate licet, aliquid dicamus, sequentes quæstiones examinabimus, quæ potissimum circa hanc doctrinam proponi & disputari solent.

I. *Angelus quid sit?*

QUid est Angelus, quemadmodum & aliarum rerum potest considerari tum secundum quod nominis, seu quoad vocem, tum secundum quid rei, seu quoad substantiam & definitionem. Angelus secundum quid nominis græcum censetur esse vocabulum, designans non tam quidditatem & essentiam Angelorum, quam munus & officium: à missione enim vox ducitur, quod Angeli nuncii ministratorii in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capient salutis. Indeque aliis etiam tribuitur hoc vocabulum substantia à Spiritibus Angelicis diversis. Ita *Matth.* 11. v. 10. Christus Johanni Baptistæ appplicat illud Malac. 3. v. 1. Hic est de quo scriptum est: *Ecce ergo mitto Angelum meum ante faciem tuam qui præparabit viam tuam ante te.* Et in universum de Sacerdotib. vox ea dicitur. Malach. 2. v. 7. labia *Sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore ejus; quia Angelus Domini exercituum est,* Quo sensu multi explicant illud 1 Cor 11. v. 10. mulier debet habere velamen super caput propter Angelos. Nam vox sua natura generalis est, & in genere nuncium denotat: κατ' ἐξοχὴν vero nuncio Dei tribuitur, ut

Henr. Stephanus annotavit in thes. Observatu dignum est, quod Aug. Iustinianus Genuensis de hac voce annotavit in Psalt. quinq; linguarum ad Psal. 50: Angeli, inquit, nomen prius Chaldæum, quàm Græcum fuisse suspicati sunt nonnulli, quod plurib. in locis apud Chaldæos legatur, ut liquet 14. & 21. linea hujus Psalmi, ubi vice (duabus vicibus) Caldæus interpres dixit, Angeli. Usum noto: vocem prius fuisse caldaicam improbo, à Græcis Chaldæos eam vocem accepisse non dubito. Diabolo vero etiám hanc vocem tribui è Scriptura notum est 1 Cor. 6. 3. nescitis quoniam Angelos judicabimus. At non judicabimus Angelos bonos. Clarius Mat. 25. v. 41. Discite à me maledicti in ignem æternum qui paratus est Diabolo & Angelis ejus. Angelus Satanæ. 1. Cor. 12. v. 7. Hinc Zanch. de operib. 6. dierum, scripsit de Angelis bonis & malis libr. 3. & 4. Quantum ad quid rei attinet Sadducæorum erat opinio, Angelos & Spiritus non esse, quemadmodum Act. 23. 8. scriptum est: Sadducæi dicunt non esse resurrectionem mortuorum, neq; Angelum neq; Spiritum: Pharisæi autem utraque confitentur. Nos contra Sadducæos docemus, Angelos etiam esse non tantum bonas & malas inspirationes & cogitationes, sed vera ὑφιςάμενα, vere existentiam in natura, ita ut significent essentiam, naturam & subsistentiam, non tantum distinctam & diversam, sed & ab aliis rebus separatam. Id manifestum est, non solum ex iis descriptionibus & appositionibus, quæ in Scriptura proponuntur, ubi dicuntur apparuisse in forma virorum, locuti esse & conversati cum hominibus, discessisse, aliaque opera quæ non nisi veris ὑφιςαμένοις

nis conveniunt edidisse: sed & natura ordo idem postulat, ut præter naturas & substantias corporeas, sint incorporei quidam Spiritus, à substantia corporum diversi, & ita Entia ordine hoc quoque inter se distincta ad uniuersi complementum concurrant, ne quid in Spirituali gradu deesset & deficeret. Hanc veritatem etiam gentiles lumine naturæ agnoverunt, qui propterea de Intelligentiis Separatis et de mentibus multa dixerunt & scripserunt, ut apud Platonem et Aristotelem videri potest. Ea vero Angelorum natura et substantia non à priori à nobis cognoscitur, sed à posteriori, quemadmodum Spiritualia et incorporea omnia: scil. tum ex actibus et operationibus, tum è remotione naturæ corporeæ, et similitudine ad animam nostram. Indeque perfecta quidditas et definitio nobis est incognita: nec nisi descriptione seu imperfecta quadam ratione nota nobis sunt quæcunque de Angelis cognoscimus.

Solet vero Angelus non uno modo describi. Biel in 2. d. 3. q. 1. art. 1. not. 1. refert descritionem Damasceni: ea vero ponitur orthod. fid. l. 2. cap. quod Angelus sit substantia intellectualis, semper mobilis, suæ potestatis arbitrioque libera incorporalis, Dei ministra, per gratiam non natura immortalitatem consecuta. Quæ ut plenius intelligatur sequentes quæstiones instituemus.

2. *An Angeli sint Spiritus seu naturæ incorporeæ?*

ANgelos esse corporeos multorum est sententia, in lib. dogm. Eccl. cap. 10. et 11. ita legitur.

legitur. Nihil incorporeum & invisibile natura credendum, nisi solum Deum, id est, Patrem, Filium & Spiritum Sanctum. Qui ideo recte incorporeus creditur; quia ubique est, & omnia implet atque constringit. Ideo & invisibilis omnibus creaturis, quia incorporeus est. Creatura omnis corporea est, Angeli & omnes cœlestes virtutes corporeæ, licet non carne subsistant. Eadem sententia iisdem pene verbis docetur in lib. de Spirit. & anima c. 18. qui Augustino adscribitur. Esse vero hanc Augustini sententiam docet Lud. Vives ad lib. 15. de civit Dei c. 23. Eandem sententiam multis tuetur Bonavent. in 2. d. 3. Contrà communis est sententia Scholasticorum, eaque in scholis pene recepta, Angelos esse substantias ab omni materia & corporeitate separatas: quam sententiam etiam tuetur Thom. 1. p. q. 50. art. 1. & 2 In hac sententiarum diversitate. 1. Certum est esse aliquos Spiritus comparative ita dictos, hoc est, non quod sint expertes omnis materiæ & corporeitatis, sed quod habeant corpora tenuissima, quæ visum, tractumque effugiunt: quomodo in Physicis vitales & animales Spiritus nominantur. 2. Certum est Angelos non esse expertes omnis omnino compositionis. De quo genere compositionis disputat Scal. exerc. 359. s. 2. ubi quærit de Angelo, an sit purus actus? Et respondet, Non, solus Deus causa est sine causa: & Ens absque Ente. Mera namque essentia. Intelligentia vero tametsi non est composita ex materia & forma: tamen constat ex aliquo tanquam potentia, & aliquo tanquam actu. Potentiam illam dicimus, ejus esse: actum vero ejus essentiam. Est autem essentia, qua est, id quod est. Esse vero

to ejus est, receptivitas essentiæ: quæ non est in prædicamento relationis, sed substantiæ: neque in ullo prædicamento materiali: sed neque in prædicamento intelligibili qualitatis: sed in prædicamento substantiæ supernaturali. His concedit Scalig. compositionem eam, quæ est ex potentia & actu: negat vero eam, quæ est ex materia & forma. At contra Bonaventura, ex ea potentialitate sumit argumentum materiæ: quod ubi est potentia, ibi sit necessario aliquid materiæ analogum. Quod si latè disputetur, non contendam: sin proprietatem exactius tueri velimus, latius se extendit potentia, quam materia. Video utrinque rationes adduci, non nisi Topicas & probabiles. Potissimum argumentum Bonaventuræ è mutabilitate, & potentialitate est desumptum. Thomas vero argumentatur è perfectione universi, quæ deficere videtur, si nulla sit substantia creata incorporea. Sed neutra est necessaria. Potentialitatem & mutabilitatem concedunt Scholastici alii: eamque à dependentia et accidentalitate oriri statuunt, nec eam cum materia reciprocari censent. Contra perfectio universi in eo est, ne quod Ens deficiat: at vero id non è nostra pendet imaginatione, sed à rebus ipsis, et divina voluntate: non enim ita universum est perfectum, ut non liceat imaginari Ens aliquod, quod in universo non habeatur. Disputat enim Scalig. exerc. 249. posse Deum facere, si ejus potentiam spectes, aliquid melius quam fecit, quam quomodo fecit. Quæ disputatio locum non habet, si non licet imaginari Ens, quod in universo vel non habeat, vel saltem non eo modo, quo nunc est. Itaque perfectionem universi ex eo metimur, quod viderit omnia,

nia, & fuerint valde bona, hoc eſt, quod ita eſſe voluerit & approbaverit omnia, non vero ex eo, quod omne Ens imaginabile ſit in univerſo. Quod ſi ergo Deo viſum fuerit primam creaturam vel facere materiæ expertem vel tenui materia præditam, ex ejus voluntate id univerſum pendet, an hoc potius quam illo modo condiderit: ſed neutrum adductæ rationes certo evincunt. Licet ergo in re ambigua ſine hæreſeos ſuſpicione alterutram ſententiam tueri & defendere. 4. Placet Zanchio eorum ſententia, qui ſtatuunt Angelos quadantenus eſſe corporeos; Probabilior, inquit, videtur eſſe ſententia Auguſtini & reliquorum, Angelos omnes non eſſe prorſus & ſimpliciter incorporeos: quam Scolaſticorum, qui eos prorſus corpore ſpoliant; cum tamen neque ipſi recuſent verbum Gregorii: eos ſcilicet comparatione quidem noſtri, eſſe Spiritus, comparatione autem Dei eſſe corporeos. 5. Mihi ſemper viſa eſt probabilior eorum ſententia, qui Spiritualis eſſe naturæ dicunt Angelos. Quod vero Dei reſpectu aliquid potentialitatis ſapiunt, id non infert ilico eſſe incorporeos: ſed quid medium inter pure ſimplex, & corpus compoſitum: de quo ſupra egimus. Nec diſplicet Caroli Bovilli deciſio quæſtio. Theol. lib. 2. q. 4. An Angeli ſint ſimplicis eſſentiæ quærit. Et reſpondet: Si contuleris Angelos Deo: tum per potentiam & actum finiendi ſunt: utpote qui prius fuerunt in potentia eſſendi, quam in actu eſſendi. Nam ex non eſſe, & è nihilo in eſſe prodierunt. Sin autem illi cæteris creaturis conferentur, cum ſint primus actus creaturarum, & primordium, atque initium ævi earundem, tunc merito ſimplicium eſſentiarum nomina recipiant. Sunt enim puri actus abſque

priori

priori potentia. Paulus vero Cortesius 2. Sent. ¶. de Angelis concludit: Fieri nullo modo potest, ut cœlitum generi ullum sit materiæ genus admixtum. Siquidem qualiscunque rei munus naturæ suæ modo constituitur. Cum autem percipere, munus sit ab omni materia secretum: intelligi potest omnem intelligentem naturam materiæ concretione vacare. Itaque ob eam caussam dicemus, cœlites corporibus suapte natura vacare: quanquam non negemus ab his quandóque varia esse corpora suscepta, ut est vatum elogiis & memoriæ mandatum.

3. *De Hierarchia Angelorum.*

SCholastici Doctores certam quandam Angelorum hierarchiam à Dionysio Areopagita, ut aiunt, descriptam nobis exhibent, in qua Angelorum chori in triplicem hierarchiam, singulæ vero hierarchiæ in tres ordines, & ita in universum in novem ordines coguntur. Qui sunt.

Seraphim, Cherubim, Throni.
Dominationes, Virtutes, Potestates.
Principatus, Archangeli, Angeli.

In hac doctrina 1. certum est, quod quemadmodum in rebus quibuscunque aliis ordo pulcherrimus animadvertitur, ita in tanta multitudine divinarum mentium aliquis sit ordo. Quæ enim perfectio in rebus materialibus & corporeis cernitur, eam quis dubitabit in Spiritualibus & cœlestibus inveniri. 2. Certum & hoc est, inveniri in scripturis ea nomina, quæ Angelis assignantur. Coloss. 1. v. 16. nominantur Throni, Dominationes, Principatus, Potesta-

tes.

tes. Jes. 6. Seraphim, Cherubim in scripturis passim. Michaël Archangelus dicitur in Epistola Judæ: & in voce Archangeli scriptum est 1. Thes. 4. v. 16. Angelorum vox hinc inde in scripturis sæpissimè occurrit. Virtutes cœlorum leguntur Matth. 24. v. 29. Itaque non est quæstio de vocibus & nominibus, an eæ in scripturis inveniantur. 3. Id vero à scripturarum simplicitate alienum dicit Zanchius, certas hierarchias, certosque in singulis hierarchiis ordines, & tales dignitatum gradus, quibus perpetuo alii aliis præemineant, alii vero aliis subjecti inserviant, inter Angelos constituere c. 14 lib 2. 1. partis de operibus Dei. Nam è solis vocibus firmum argumentum ejus hierarchiæ peti non potest. Audi quid Origenes dicat de loco Coloss. 1 in lib. 1. Periarchon cap. 7. Manifeste, inquit, in Christo & per Christum facta esse omnia & creata pronunciat, sive visibilia, quæ sunt corporalia, sive invisibilia, quæ non alia etiam arbitror quam incorporeas, spiritualesq; virtutes. Horum autem quæ corporea vel incorporea generaliter, dixerat, ut mihi videtur, in sequentibus enumerat species, id est, sedes, dominationes, principatus, potestates, virtutes. Hæc autem nobis prædicta sint volentibus per ordinem ad inquisitionem solis & lunæ, vel stellarum per consequentiam pervenire, utrum inter principatus haberi conveniat, pro eo quod dicuntur in principatum diei facta vel noctis: an putanda sint istum solem principatum habere diei ac lunam noctis? Hic Origenes in dubium vocat, an voces illæ solis Spiritualibus, an vero etiam corporeis creaturis tribui possint? non ergo certum per hujusmodi voces aliquam hierarchiam angelicam designari. Et Aug. in lib. ad

Oros.

Orof. contra Prifcil. & Orig. cad. 11. dicit certe ait Apoftolus: five fedes, five dominationes; five principatus, five poteftates. Et effe itaque fedes, dominationes, principatus, poteftates in cœleftibus apparatibus firmiffime credo, & differre inter fe aliquid indubitata fide teneo, fed quo me contemnas, quem magnum putas effe doctorem, quænam ifta fint, & quid inter fe differant nefcio. Nec ea fane ignorantia periclitari me puto, ficut inobedientia, fi Domini præcepta neglexero. Vides voces effe notas Auguftino: incognitum dogma illud triplicis hierarchiæ. 4. Præterea dubium fatis, quod circa hanc doctrinam inferunt: Effe fcilicet Angelos in hac hierarchia quofdam affiftentes, qui fecreta divinorum minifteriorum immediatè recipiant à Deo: alios minftrantes qui dicuntur mitti, illi fcilicet qui inftruuntur ab ipfis affiftentibus de fecretis. Ex illo genere dicunt effe quator ordines fuperiores: ex hoc vero quinque inferiores. Nam Jef. 6. mittitur Seraphim ad Prophetam, ficut expreffe fcriptum eft, v. 6. & 7. & volavit ad me unus de Seraphim, & in manu ejus calculus, quem forcipe tulerat de altari, & tetigit os meum, dixit &c. Itaque mihi placet Scaligeri decifio ex. 359. f. 1. ubi Angelos dici notat, quia mitteret eos Deus. Subjungit: An vero quorundam modò fit hoc minifterium, an omnium? De hoc inquit, fcriptum non eft. Sed fides fit penes præfcripta religionis.

4. *De intellectu & cognitione Angelorum.*

ANgelum effe naturæ intellectualis conftat. Id enim eft neceffariũ tum ratione naturæ ejus,

ejus, tum ratione officii. Ratione naturæ: Cùm enim sit naturæ inter Deum & hominem mediæ, & ita secundum naturam homine superior, quæcunque perfectio simpliciter homini convenit, eadem Angelo conveniat necesse est. Ratione officii, ut quæ à Deo ipsi perficienda demandantur, ea convenienter expedire possit. Is vero intellectus angelicus, quemadmodum & intelligere ipsum, non est vel substantia vel esse Angeli, sed quemadmodum dicit Dionysius 2. c. angel hierar. Angeli dividuntur in substantiam, virtutem & operationem, itaque nec in angelo, nec in quacunque alia creatura virtus vel potentia operativa, idem est quod sua essentia. Cùm enim potentia dicatur ad actum, oportet, ut secundum diversitatem actuum sit diversitas potentiarum: propter quod dicitur, quod proprius actus respondet propriæ potentiæ. In omni autem creato essentia differt à suo esse, & comparatur ad ipsum sicut potentia ad actum: actus autem, ad quem comparatur potentia operativa est operatio. In angelo autem non est idem intelligere & esse: nec aliqua alia operatio aut in ipso, aut in quocunque alio creato, est idem quod ejus essentia. Unde essentia angeli, non est ejus potentia intellectiva, nec alicujus creati essentia, sed ejus operativa potentia. Vide Tho. 1. p. q. 54.

Vis vero ea intellectiva Angelorum longe est nobilior & perfectior quacunque notitia humana. Quia enim intellectus is est separatus ab omni materia: non habet impedimenta, quæ in intellectum hominis cadunt. Testis enim est quotidiana experientia materiæ copiâ & multitudine obrui & obtundi intellectus subtilitatem: Plenus enim venter non studet libenter, ut

habet

habet communis regula, & qui cibo ac potu sunt obruti, non sunt ad intelligendum accommodati. Purior ergo intellectus, quo à corporeitate magis est abjunctus. Hinc de morte Philosophica elegans Socratis apud Platonem in Phœdone extat disputatio, quæ vult verum Philosophum esse à corpore separatum, ut animo vacare possit rectius. Non possum, quin ob summam elegantiam quædam huc transferam è Platone: Putamusne, inquit Socrates, aliquid esse mortem? Aliquid certe, inquit Simmias. Nunquid aliud, inquit, quam animæ à corpore solutionem? esseque id mortuum esse, scilicet solutum ab anima corpus per se seorsum esse? seorsum quoque à corpore animam solutam, ipsam per se ipsam existere? Nunquid mors præter hoc aliud est? Nihil aliud, inquit Simmias. Hoc posito, postquam definivit, Philosophi officium esse, non sectari voluptates epularum, poculorum, venereorum, non corporis cultum: & hujusmodi hominis studium, haud ad corpus quidem declinare, sed quantum fieri potest ab illo discedere, atque ad animum se convertere: descendit ad studium sapientiæ, & subjungit: Quid autem circa sapientiæ ipsius acquisitionem? Inquit Socrates. Utrum impedimentum est corpus, si quis ipsum socium ad investigandum assumpserit, necne? Disputat vero decipi à corpore animum in attingenda veritate; ratiocinari autem tunc optime, quando horum nihil eum perturbat, neque auditus, neque visus, neque dolor, neque voluptas: sed quam maxime seipsum in se recipiens, deserit corpus, neq; quicquam quoad fieri potest cum illo communicans, neq; attingere ipsum quod vere est, affectat. Et tandem post multa concludit: Cæterum nobis revera demonstratum

tum est, si quando sumus purè aliquid intellecturi, recedere à corpore oportere, atque ipso animo res ipsas considerare. E quibus omnibus videtur evadere manifestum, esse intellectum puriorem, & ita in cognoscendo perfectiorem, qui est ab omni corporietate maximè abjunctus. Quod ex eo etiam constat: Intellectus perfectioris est, qui ad esse divinum magis accedit. Perfectior ergo is est, & ita in intelligendo & cognoscendo vegetior, qui à materia maximè abjunctus & separatus.

Cæterum modus intellectionis in angelicis iis spiritibus explicatu difficilis est. Eam ob caussam, quid aliis hac de re visum fuerit potius in medium adducemus, quam ut certum quid è propria sentenia hîc definiamus.

Cognitionem angelicam alii duplicem, alii triplicem esse dicunt: illi cognitionem aliam esse vespertinam, aliam matutinam faciunt; hi præter duplicem illam addunt tertiam meridianam. Angeli, inquit, Gerson summæ lib. 6. cognitionem habent matutinam, hoc est, cognitionem rerum in verbo. Item cognitionem vespertinam, id est cognitionem rerum in se. Item meridianam, i. e. apertam Dei visionem. Est etiam alia cognitio, quia majores Angeli indicant minoribus illa quę per divinas θεοφανίας receperunt. Ita ille. Aliter aliquanto rem declarat Melchior Flavius in resolut. Scoti 2. Sent. d. 3. q. unic. Angeli, inquit, cognitio vespertina, cognitio rerum in proprio genere: matutina naturalis per species inditas; & beatifica in verbo, alias meridiana. Tho. 1. p. q. 58. ar. 6. hanc doctrinam ita declarat. Dicendum, quod hoc quod dicitur de cognitione matutina & vespertina in angelis introductum est ab Aug. qui,

sex

ſex dies, in quibus Deus legitur feciſſe cuncta, Gen. 1. intelligi vult non hos uſitatos dies, qui ſolis circuitu peraguntur, cum ſol quarto die factus legatur, ſed unum diem ſcil. cognitionem angelicam ſex rerum generibus præſentatam. Sicut autem in die conſueto manè eſt principium diei, veſperè autem terminus, ita cognitio primordialis eſſe rerum dicitur cognitio matutina, & hæc eſt ſecundum quod res ſunt in verbo: cognitio autem ipſius rei creatæ, ſecundum quod in propria natura conſiſtit, dicitur cognitio veſpertina, naturâ eſſe rerum fluit à Verbo, ſicut à quodam primordiali principio, & hic effluxus terminatur ad eſſe rerum, quod in propria natura habent.

Nos ita: cognitio angeli non una eſt: alia per viſionem, alia per revelationem, alia per ſpecies. Per viſionem eſt cognitio beatifica, qua cognoſcit Deum, non tantum cognitione ſpeculativa, ſed fruitione, ita ut Deum videat, in eaque viſione acquieſcat, tanquam in ſummo bono. Cognitio per revelationem eſt, qua Deus de voluntate ſua, & rebus aliis Angelis manifeſtat quæcunque ipſos vult ſcire. Tametſi enim Deus in ſe omnia contineat, non tamen videns Deum, neceſſario videt omnia: ſed viſio rerum aliarum pendet ex revelatione. Eſt enim repræſentatio illa rerum omnium non formalis, ſed eminentiæ, & non naturalis, ſed manifeſtationis voluntariæ. Indeque fit, ut tametſi omnia ſint in Deo: non tamen videantur omnia ab Angelis, nec Angeli ſciant omnia, niſi præcedente revelatione. Cognitio per ſpecies duplex eſt: vel per ſpecies innatas, vel per ſpecies è rebus acceptas. Et Suarez diſp. Metaph. 35. ſ. 4. n. 20. hanc ponit aſſertionem ad cognoſcendas res a-

lias

lias indigere intelligentias speciebus intelligibilibus, eas tamen habere cum natura congenitas, saltem respectu naturalium rerum. Cum enim in homine sit facultas naturalis primorum principiorum cognoscendorum, ut post lapsum etiam illico iis assentiatur: primi etiam parentes habuerint eam sapientiam, ut sine doctrina omnium rerum habuerint notitiam: Angelis certe denegandum non est, eos naturalem & sibi congenitam omnium rerum, saltem naturalium, habere notitiam & cognitionem. Quoad contingentia vero, quia ea aliter atque aliter se habere possunt, dicendum videtur, ea cognosci ab angelis per experientiam, & ita per species à rebus acceptas. Quo tendit illud Bielis, qui dicit cognitionem vespertinam angelorum esse partim infusam, partim acquisitam. Infusam eam dicit, qua per species concreatas res cognoscuntur: acquisitam vero, quæ fit per species à rebus receptas. Vide pluribus ad hanc doctrinam Scholast. & Suarez. citatis superius locis.

5. *An Angelis convenit libertas arbitrii.*

ANgelis voluntatẽ convenire qua & velle & eligere possint dubiũ non est. Ex ejus cum intellectu concursu fuisse liberum arbitrium in angelis ad bonum & malum patet ex angelorum lapsu; quorum, quia alii lapsi, qui in veritate non perstiterunt, & principatum suũ dereliquerunt, alii vero statum suum conservarunt, & à bono non defecerunt, argumento est, potuisse eos ad bonum & malum inclinari, alterutrum vel eligendo vel reprobando, quemadmodum & homo ad utrumque ante lapsum fuit liber: & ita constat arbitrium liberum simpliciter

pliciter ita dictum in angelis fuisse. Inde Lomb. dicit in 2. d. 5. habebant, inquit, omnes liberum arbitrium, quod est libera potestas, & habilitas voluntatis rationalis. Poterant enim voluntate eligere quodlibet, & ratione judicare, id est, discernere: in quibus constat liberum arbitrium. Nec creati sunt volentes averti vel converti, sed habiles ad volendum hoc vel illud, & post creationem spontanea voluntate, alii elegerunt malum, alii bonum. Constat ergo in libertate arbitrii conditos esse & creatos angelos. Sed id nunc quæritur, postquam & boni sunt confirmati in bono, ut non possint male agere, & mali indurati in malo, ut non possint bene agere, an aliquod sit in iis liberum arbitrium reliquum. Quod Lombardus in 2. d. 7. ita expressit. Cum nec boni peccare possint, nec mali bene velle, vel bene operari, videtur quod jam non habeant liberum arbitrium: quia in utramque partem flecti non possunt, cum liberum arbitrium ad utrumq; se habeat. Qua in re id sciendum est, arbitrii libertatem non in eo consistere, ut ad bonum pariter & malum æque simus liberi, & deflectere possimus: ita enim nec in Deo vel esset, vel esse posset libertas, eò quod cum summe bono malum consistere nequit. Is tamen suam agendi libertatem in eo nobis manifestavit, quod & mundum condidit, quando & quomodo voluit, & unicuique nostrum dat quod & quantum ipsi visum fuerit. Et cum arbitrii libertas sit perfectio simpliciter, Angeli certe in gloria constituti ea carere non poterunt: ii tamen malum amplius nec velle nec agere poterunt. Id Augustinus docuit in Enchirid. ad Laur. cap. 105. de homine: sic, inquit, oportebat prius hominem fieri, ut & bene velle

po ßet

posset & malè, nec gratis, si bene, nec impunè, si malè: postea vero sic erit, ut male velle non possit, nec ideo libero carebit arbitrio. Multo quippe liberius erit arbitrium, quod omnino non poterit servire peccato. Neque enim culpanda est voluntas; aut voluntas non est, aut libera dicenda non est, qua beati sic esse volumus, ut esse miseri non solum nolimus, sed nequaquam prorsus velle possimus. Sicut ergo nunc etiam anima nostra nolle infelicitatem, ita tunc nolle iniquitatem semper habitura est. Quod de homine constituo in gloria dicimus, eum liberum futurum à servitute peccati, sine amissione liberi arbitrii: idem de Angelis dicendum, cum liberi sint à coactione ad volendum bonum quod Spiritus faciunt, & bonum præ bono eligere, actiones etiam vel perficere vel non perficere possint, salvam bonis Angelis permanere arbitrii libertatem. Quemadmodum mali etiam Angeli, tametsi in malo sunt indurati; tamen quia malo delectantur, in malum consentiunt, malum præ malo eligunt, malum inferre possunt, & ita voluntatem ab omni coactione habent liberam, libertatem arbitrii in malo etiam perpetrando habent reliquam. Quod si vero libertas servituti opponatur: jam quemadmodum homo servus peccati est, ut propriis viribus ex ejus servitute sese eximere nequeat, ut servum arbitrium hominem habere Theologi graves dixerunt: ita mali Angeli, qui sunt in malo obdurati, non possunt bene, sed tantum malè agere. Quo sensu si quis libertatem arbitrii ad bonum, scilicet, ipsis etiam denegare velit, non repugnabimus. Convenienter his scripsit Carolus Bovillus quæst. Theolog. lib. 2. quæst. 91. an qui exciderunt,

runt, (loquitur de Angelis eo loco) post casum suum libertatem amiserunt? Sicut, inquit, permanserunt in bono, post confirmationem sui, naturali libertatis dono non sunt spoliati: ita & qui à bono prolapsi sunt, post infelicem sui ruinam nequaquam privati sunt libero arbitrio. Nempe ut diximus, nec virtus, nec vitium, aut bonorum aut malorum Angelorum naturam substantiamque immutare potuerunt aut addentes aut adimentes illis naturalem aliquam facultatem. Æterno tamen Chao ac profundo bonos à malis deduxerunt, hos in malo sistentes, illos vero in bono confirmantes.

6. *An sint Intelligentiæ cœlestium orbium motrices?*

SCaligeri exerc. 359. s. 1. verba sunt: Intelligentia dicta est à perfectione illa, qua ducitur in amorem primæ causæ: cui semper præsto est. Græcæ vocatur νοῦς, Latinè mens: quia est actus quidam. Earum duo sunt ordines primarii: Cœlestis, & supercœlestis, Cœlestis officium est, movere suum cujusque orbem. Supercœlestis assistit primæ causæ: ut ejus jussu etiam res hasce procuret inferiores, earum rectioni perfecta atque conservationi. Quæ fuit causa, ut à Græcis Angeli vocarentur: quia mitteret eos Deus. In his verbis extra dubium est, quod desuper cœlestis intelligentiæ officio dixit: id vero satis certum est, an sunt quædam intelligentiæ cœlestium orbium motrices, cum nec satis constet, an sint ejusmodi orbes, etsi sint, an ejus modi Intelligentiis motricibus indigeant, & non propria ac interna potius

vi & virtute moveantur, quàm intelligentiarum assistentium opera.

Duæ enim in hac causa sunt opiniones: altera est, esse in cœlo orbes quosdam reales, realiter inter se diversos, ita ut alia sit Sphæra Saturni, alia Jovis, alia aliarum planetarum, alia etiam stellarum fixarum, quibus orbibus stellæ sint affixæ, ut moveantur ad motum suorum orbium, orbes vero non habere vim quandam internam motricem, sed ab intelligentia tanquam forma assistente, ut loquuntur, motum suum accipere. Contrà vero Tychonis Brahe, & aliorum quorundam recentiorum est sententia, non esse in cœlo reales ejusmodi orbes & Sphæras, sed cœlum esse unum quoddam corpus continuum, nulla orbium inter se divisione reali constans, in eoque astra & stellas liberè motum sibi proprium vi quadam interna ipsis insitum perficere, nec esse eas stellas vel orbibus affixas, vel intelligentia opus habere ad motum hanc ipsis naturalem conficiendum; haud aliter atquè quoque corpora vi quadam interna sibi & naturali propria, non adscita extrinsecus ejusmodi quadam Intelligentia moventur & agitantur.

Ac prior quidem opinio tum Peripateticorum, tum Scholasticorum est, qui in ea ferè consentiunt, esse ejusmodi Intelligentias formas assistentes orbibus cœlestibus, à quibus non quidem esse habeant, sed motum omnem recipiant. Elegantissimis verbis hanc sententiam retulit Paulus Cortesius 2. Sent. sect. de creatione corporum: At Apollo Christianorum b. Thomas, inquit, scientiùs genus hoc totum ratione astringit. Probat enim divisione operum animæ, nullam corporum cœlestium animæ

animæ consentaneam esse operam, præter Intelligentiam & motum. Dicitque animam corporibus cœlestibus, non ut formam annecti: sed virtutis appulsu, ut mobili agitatorem applicari, quemadmodum si lagena in prono, vi pedum impulsa moveatur. Alii etiam lumen ad intelligentiam referunt, & influxum omnem in hæc inferiora. Ita Archang. Mercenar. ad sect. quæ sit cœlestis corporis forma in dilucid. disputat. contra Thomam, qui dixerat; cœlum seclusa intelligentia agere in ista inferiora: eámque assertionem dicit esse falsam. Nam cœlum non agere in ista inferiora nisi mediante lumine & motu. Jam vero, inquit, cœlum seclusa intelligentia non movetur, nec lumen habet, cum ista habeat ab intelligentia: igitur seclusa intelligentia non agit in ista inferiora. In quibus verbis Archangeli duo noto: Primum est, non videri consentaneum veritati, cœlum lumen habere ab intelligentia: est enim lux indita syderibus in prima creatione, unde & luminaria dicuntur. Itaque lux non nunc primum ab Intelligentia illa assistente vel cœlo, vel astris extrinsecus advenit. Alterum est, quod annotavit Joh. Dez in canonibus suis: cœlum non tantum agere mediante vel lumine, vel motu, sed & occultis qualitatibus: nec enim vel lumen vel motum transire in intima terræ viscera propter objecti densitatem & soliditatem: esse verò occultas cœli syderumque qualitates, quæ nulla objecti soliditate impediantur, quo minus transeant, & ejusmodi occultas vires plurima in his inferioribus perficere certum est quæ nec motu, nec lumine peragantur. Verba ejus sunt in aphor. 25. duplices sunt stellarum omnium radii: alii sensibiles

ſibiles ſive luminoſi, alii ſecretioris *influentiæ*. Hi omnia quæ in hoc mundo continentur penetrant: illi ne adeo penetrent quodammodo impediri poſſunt.

Quoad motum vero mihi placet magis eorum ſententia, qui orbes ejuſmodi reales in cœleſtibus improbant: qua de re in Phyſicis pluribus diſputavi. Et hinc judico aſtris & ſyderibus proprium quendam motum eſſe inſitum & inditum, ut ejuſmodi Intelligentia aſſiſtente opus non ſit. Cùm enim inferioribus omnibus Deus ſuos motus indiderit, ut non tantùm Elementa, & quæ ex his ſunt mixta omnia, pro cujúſque natura vel ſurſum, vel deorſum, moveri poſſint: locomotivam, ſecundùm quam in partes omnes moveantur, animantibus: avibus etiam volatum, veriſimile eſſe non videtur, adeo nullum aſtris motum eſſe datum, ut abſque ejuſmodi ſpeciali Intelligentia aſſiſtente motu nullo ferri poſſint. Et quid impedit ejuſmodi motus principium internum? non uniformitas, ſunt enim uniformia corpora Elementa, & tamen ſuum habent motum. Nec motûs ratio & conditio, quod ſit motus circularis: cum enim corporibus ſpecie diverſis inditi ſint motus etiam contrarii, ut ignis æquè ſurſum ferri poſſit vi ingenita, atque terra deorſum: quidni circularis etiam motus ſuum quoddam corpus naturale habeat, à quo primo perficiatur. Itaque mihi probabilior eorum videtur eſſe ſententia, qui nullum ejuſmodi Intelligentiam aſſiſtentem agnoſcunt.

7. An

7. *An Angeli sint immortales & incorruptibiles.*

Πᾶν κτιστὸν καὶ τρεπτὸν, μόνον δὲ τὸ ἄκτιστον ἄτρεπτον, Omne creatum veribile, solum autem increatum invertibile, inquit Damasc. de Orthod. fide lib. 2. cap. 3. Et subtilis est apud Scalig. exerc. 307. s. 20. disputatio, & ut ipse dicit, ardua, & quæ non nisi à doctis percipi queat. Omne quod est aut est primum principium, aut à primo principio. Unum est primum, alia dependent igitur. Ergo sua natura omnia, præter unum corruptibilia. Tametsi enim sunt Entia absoluta à subjecto & termino: tamen haud sunt absoluta à causa. Sunt igitur per aliud, & ab alio. At omne dependens ab eo à quo dependet, si est voluntarium principium, mutari potest. Ergo ipsæ quoque mentes immateriales, etsi ponuntur à Peripateticis coæternæ Deo: tamen ut à primo pendent à primi nutu deponi possunt ab ea essentia, in qua sunt ab illo constitutæ Si enim non possent, haberent in se aliud principium resistendi illius infinitati? Non igitur illud esset primum principium. Ita ille: eleganter sanè. Nam ita esse immortale Deo propriè tribuitur. 1. Tim. 1. v. 17. At vero contrà constans est omnium sententia, non esse Angelos corruptioni & mutationi obnoxios: cum enim sint naturæ simplicis & incorporeæ, adeóque nec è multis constant, in quæ resolvi possint: nec è contrariis, quorum unum alteri repugnet, è qua pugna totius corruptio & destructio primùm sequitur: rectè hinc concluditur, naturalem & Physicam corruptionem & mutationem Angelis non competere.

Dicendum tamen. 1. dici aliquid vel incorruptibile & immortale absolute & simpliciter, κατα τὶ seu secundum quid, certo scil. & determinato quodam respectu. Simpliciter & absolute Divinæ essentiæ repugnat corruptibilitas & mortalitas. Est enim hoc primum illud & summum principium, à quo sunt & dependent omnia, ipse solus independens aliunde, omnimodo immutabilis. Indéque ipsius esse, & anni ejus non deficere dicuntur Psal. 102. Et hoc sensu solus est immortalis, & ipsi uni & soli hoc Epitheton vere convenit. Ac hoc privilegium ipsi tribuitur præ aliis Diis gentium: ut recte Lyra dixerit ad locum 1. Tim. 1. immortalem nominari, ad differentiam Jovis, & Saturni, & hujusmodi, qui sunt homines mortales. Et hoc sensu jam disputat Scalig. ne quidem mentes immateriales esse ab omni mutabilitate liberas: eo quod dependent à voluntario principio, ad cujus nutum & arbitrium sunt factæ & creatæ, & quicquid habent ejus unius beneficio habent: ut propterea ejus infinitati resistere nequeant. Hîc itaque recte asserimus: Angelos esse incorruptibiles gratia. Quod citato superius loco ita effert Scalig. Non corrumpuntur, autem quia non vult. Et in lib. de plantis pag 55. scite admodum: neque vero, inquit, finem habebit, quia principium habuerit anima: nisi quomodo mentes illæ cœlestes. Nutu creatæ, nutu dissolventur, si libuerit. At libuit, ut ne liberet, voluit, ut nollet. In quem modum in Timæo scripsit verba omnibus jam fere nota; Postquam morti sunt omnes, (loquitur vero de Diis Gentilium, è quibus Terræ, Cœlique filii Oceanus & Tethis fuisse traduntur. Ab iis Phorcys, Saturnus & Rhea.

Ex Saturno & Rhea Jupiter & Juno) tum ad eos mundi genitor ita fatur: Dii orti ex Diis quorum opifer ego & pater ſum, hæc attendite. Quæ à me facta ſunt, me ita volente indiſſolubilia ſunt. Omne ſiquidem quod vinctum eſt, ſolvi poteſt. Sed mali eſt, quod pulchre compoſitum eſt, ſéque habet bene, velle diſſolvere. Quapropter quia generati eſtis, immortales quidem & indiſſolubiles non eſtis. Nec tamen unquam diſſolvemini, nec mortis fatum ſubibitis: Nam voluntas mea majus præſtantiuſque vobis eſt vinculum ad vitæ cuſtodiam, quam nexus illi, quibus eſtis tunc, cùm gignebamini, colligati. De qua tamen proſopopœia videatur Cyrillus contra Julian. lib. 2. tom. 2. pag. 529. edit Pariſ. anno 1572. Manifeſtum eſt ex his omnibus, Intelligentias & mentes illas cœleſtes relatas ad primum illud principium, non eſſe ſimpliciter incorruptibiles & immortales: ſed ſecundum quid, ejus ſcil. gratia, voluntate, nutu, & arbitrio. 2. Sin mentes illæ cœleſtes referantur ad cauſas vel internas, vel externas Phyſicas & naturales, earum reſpectu plane ſunt incorruptibiles & immortales. Nec enim cauſæ vel internæ ſunt è quibus conſtent: vel contrariæ qualitates, quæ in ipſis litem & pugnam excitent, unde deſtructio ſequatur: quomodo mixtorum corruptio perficitur. Sed nec agens externum eſt ejus virtutis & potentiæ, quod ſit aliud à Deo, quod ſimplicem hanc Intelligentiarum eſſentiam in nihilum poſſit redigere. Ejuſdem enim potentiæ eſt è nihilo facere aliquid, & ens aliquod annihilare, ſeu in nihilum redigere. Itaque ſecundum quid, ſeu reſpectu cauſarum ſecundarum rectè incorruptibiles etiam dicuntur intelligentiæ.

Concludam eleganti Cyrilli ſententia quæ habetur theſaur. libr. 8. cap. 2. Etſi, inquit, Angelus immortalis quædam res eſt, propter voluntatem & gratiam ſalvatoris: ſed tamen quoniam ortum habuit, & eſſe cœpit, occidere quoque poteſt, & non eſſe. Nam quæ naturis præcipue inſunt, ea reſpectu Creatoris Dei nihil ſunt. Quare ſicut ignis combuſtivus quidem, ſed non Deo: ſic & Angelus immortalis quidem eſt, ſed non Deo. Solus enim Deus proprie immortalis eſt, quia naturaliter id habet, cætera per gratiam, ſicut creaturæ. Vide Thom. 1. q. 50. art. 5.

8. *An omnis plane compoſitionis ſint expertes Intelligentiæ?*

NOn unum compoſitionis genus & eſt, & reperitur: inde fit, ut quæ certo reſpectu dicuntur ſimplicia, alio reſpectu compoſita eſſe deprehendantur. Ita enim in genere corporum ſimplicia eſſe dicuntur Elementa, quoad ex aliorum Elementorum coalitione non concreſcunt, eorúmque reſpectu mixta dicuntur eſſe corpora, quæ ex Elementorum concurſu reſultant. Eadem vero Elementa collata ad materiam & formam expertia compoſitionis non ſunt, ſed ex earum partium inter ſe unione naſcuntur: nec enim ut in Phyſicis diſputavit Ariſtoteles, poſſent invicem transmutari Elementa, niſi eſſet commune quoddam alterationis & transmutationis ſubjectum, quod materiam dicimus: ſed nec inter ſe Elementa ſpecie differrent, ſi non uno tantum ſubjecto conſtarent, omnibus Elementis communi: forma ergo ccedat ad materiam neceſſe eſt, ſecundum

quam

quam à se invicem Elementa discernantur & distinguantur. Itaque certum hinc est, quod uno modo simplex esse dicitur, huic non repugnare dici alio modo compositum.

Hoc vero privilegium unius Dei proprium est esse summe simplicem, ut ab eo omnia genera compositionis excludantur. Idque inde fit, quia nec ab alio est, nec ex aliis est, nec cum alio habet naturæ convenientiam, nec deficit in aliquibus. Primum excludit eam compositionem quæ est ex actu & potentia: & consequenter eam, quæ est ex esse & essentia. Alterum eam, quæ ex partibus vel essentialibus, vel integrantibus est. Tertium eam, quæ est ex genere & differentia. Quartum eam, quæ est ex positivo & privativo: ut & eam, quæ est ex subjecto & accidente. Quod vero in Deo multa concipiuntur: non tam notat compositionem in essendo, quam multitudinem in operando. Quod notavit August. Niphus Suess. ad disp. 3. destr. Averrois: Deus, inquit, non est agens simplex, sed multiplex: quoniam licet ipsum in se sit unum in esse & summè simplex in esse: est tamen multum in virtute & perfectione. Vide de hac Dei simplicitate Scal. ex. 140 & quod nullus modus compositionis ipsi conveniat apud Algaz. Averr. & August. Niph. Suess. destruct. disp. 5. Metaph.

Intelligentiæ vero quæ sunt naturæ mediæ inter Deum & corpora seu res naturales, simplices quidem dicuntur, sed non summe simplices. Est enim compositio alia Physica, alia Logica vel Metaphysica. Illa est ex partibus realiter inter se diversis, cujusmodi sunt vel materia, vel forma, quæ essentiam rei immediate constituunt, vel integrantes, quæ ad operationes

perficiendas potissimum sunt institutæ. Hoc sensu simplex est omnis Intelligentia: nec enim multa in se complectitur, in quæ vel dividi, vel resolvi possit. Logicæ vero vel Metaphysicæ compositiones experies intelligentiæ non sunt. 1. Convenit iis compositio ea, quæ est ex subjecto & accidente. Quum enim mutabilitas conveniat Intelligentiis, ut de bono in malum converti possunt, quod è Diaboli lapsu manifestum est: constat hinc manente eadem substantia mutationem quandam iis convenire; ea vero quia accidentalis est, accidentia quædam intelligentiis tribuantur necesse est: secundum quæ ea mutatio accidat. 2. Convenit compositio ea, quæ est ex actu & potentiâ. Quod notavit Scal. ex. 359. s. 2. An vero sit purus actus, inquit? Non intelligentia tametsi non est composita ex materia & forma: tamen constat ex aliquo tanquam potentia, & aliquo tanquam actu. Ratio certa: quod enim de non esse in esse producitur, est in potentia suæ caussæ, à qua producitur, accipit vero actum essendi seu existentiæ, quando ponitur extra suas caussas. Sunt vero Angeli de non esse in esse producti? designari ergo in iis potest aliquid per modum potentiæ & actus. 3. Indeq; notari potest in Angelis compositio ex esse & essentia: abstrahit enim essentia Angeli ab omni causa, & denotat præcise quidditatem stantem per seipsam: at existentiu ejus non potest definiri, nisi mentione supremæ causæ à qua sit: existentia enim definitur ex ordine ad causas extra quas producitur id ipsum, cui tribuitur existentia. 4. Sed nec ea quæ à genere & differentia est compositi denegari potest angelis. Omnis enim conceptus prædicabilis in quid de plus quam

numero

numero differentibus certam proportionem inter se, & si non sit pars alterius, est conceptus generis, dicit Ockam in 4. d. 8. At vero nihil repugnat dari ejusmodi quendam conceptuum in Angelis, cui omnes hæ conditiones conveniant. Nec ergo potest Angelis denegari genus. At vero ut superius ex Averroë disputavimus destr. disp. 7. quæ conveniunt genere univoco, oportet ut dividantur ab invicem aliqua differentia, & erit quodlibet eorum compositum ex genere & differentia. Quod si itaque Angelis non repugnat ratio generis univoci: nec ergo ratio differentiæ: nec ergo compositio quæ est è genere & differentia. 5. Denique quia solus Deus est, qui omnes perfectionum gradus complectitur: sequitur inde, quicquid aliud est à Deo, in eo concipi, aliquid per modum positivi & privativi. Nam & habet positive perfectionem sibi debitam, & non attingit gradum infinitæ perfectionis divinæ, à qua deficit. Sed hic ultimus modus est valde improprie dictus: quod enim non debetur id si desit, privationem proprie non infert. Et si vel maxime inferret privationem, non tamen inferret compositionem; quod enim non inest, id ne quidem potest componere; nisi tantum quoad nos, in quantum nos concipimus, id quidem convenire, aliud vero non convenire. Voluimus tamen hujus etiam modi compositionis mentionem injicere, quia vulgo etiam huc referri solet.

C A P V T. III

De Anima Humana.

Theorema tertium.

Spiritus Incompletus est Spiritus ordinatus ad esse alterius, ut ejus sit pars.

2. *Indeque*

2. *Indeque se solo non constituit Suppositum vel Personam: sed unitus & conjunctus cum corpore. Ejusmodi est Anima humana.*

3. *Anima humana est Spiritus ex inspiratione divina in prima hominis creatione factus ut fieret homo in animam viventem.*

4. *Ejus consideratio est vel absoluta, vel respectiva.*

5. *Absoluta, Metaphysicæ propria, est consideratio quidditatis & prædicatorum quidditativorum animæ, in quantum, à corpore vel contradistinguitur, vel separatur.*

6. *Et ita est substantia quædam incorporea & immortalis, multo intervallo corpus excellens, & tanto quanto corporeis præeminent incorporea, homini data ad operationes humanas exercenda. Vide Chrysost. in Gen. hom. 13.*

7. *A Paulo Scalichio in concl. 1. de anima ita describitur: Anima humana est lux quædam divina ad imaginem verbi causæ causarum, primi exemplaris creatæ, substantia Dei sigilloque figura cujus character est verbum æternum. Quæ descriptio dextre accipienda.*

8. *Ea immortalis est: adeoque à morte hominis separatim existit cum aptitudine & spe, ut in futura resurrectione corpori denuo uniatur & conjungatur.*

9 *Ea intellectualis est: in corpore quidem res per species à phantasia ad se delatas cognoscens & percipiens. Modus vero intelligendi in anima separata explicatu difficilior. Sententia Thomæ est: animam separatam non intelligere per species innatas, nec per species quas tunc abstrahat, nec solum per species conservatas: sed per species ex influentia divini luminis participatas, quarum anima fiat particeps, sicut & aliæ substan-*

tiæ

tiæ separatæ 1. p. 89. art. 8. ad 3. vide Franc. Suarez. disp. Metaph. 55. s. 2. n. 6.

10. *Respectiva animæ consideratio est in ordine ad corpus, cujus forma est & actio: indeque ad multiplicationem corporis multiplicatur & ipsa. Sed hæc consideratio Physici propria est.*

COMMENTARIVS.

ARistoteles 1. de anima t. c. 1. commendat nobis scientiam de anima, ut quæ excedat omnes alias scientias nobilitate subjecti & certitudine demonstrationis excepta divina. Sed meminisse nos decet ejus, quod ab Averroe scriptum destruct. disp. 2. phyl. sermo de anima est nimis profundus, sed Deus appropriavit eum sapientibus profundis in scientiam: & ideo dixit Job; Simplex ego sum, scio animam meam. Tametsi vero quamplurimis idem accidit, ut ob intellectus infirmitatem, & sermonis profunditatem ad animæ notitiam assurgere nequeamus: pulcher tamen est in re difficili etiam conatus. Conabimur itaque in hoc etiam genere nos exercere. Animæ consideratio non unius est generis: Est namque vel Physica, vel Metaphysica. Prius de anima declaratum ab Aristotele & Averroe 1. de anima, t. c. 59. Posterius docuit Averroës 3. de anima t. 5. his verbis: & ideo scire de Anima necessarium est in sciendo primam Philosophiam. Considerationis diversitas ex eo: quia anima secundum substantiam est immaterialis conjunctione tamen materialis: hinc fit, ut prior considerandi modus totus sit Metaphysicæ proprius, cujus officium est, tradere ea, quæ sunt ab omni materia separata. In quantū vero animo habet ordinem ad corpus & ita & est, & agit ac operatur in materia & cum materia:

teria: hactenus jam Physici officium animi cognitionem suscipere, quod in libris de anima præstitit Aristoteles. De ordine animæ ad corpus fusè in Physicis, & in libro de homine egimus; jam ut pauca de anima degustamus in quantum à corpore est seiuncta, præsens institutum videtur requirere. Agemus vero hic.

De animæ humanæ origine.

MUltas circa animæ originem esse sententias apud Hieronymum legimus in epist. ad Marcell. & Anapsych. tom. 3. cuius init; tandem ex Africa; Super animæ statu, inquit, memini vestræ quæstiunculæ, imo maximè *Ecclesiasticæ* quæstionis; utrum lapsa de cœlo sit, ut Pythagoras Philosophus, omnesque Platonici & Origines putant: an à propria Dei substantia, ut Stoici, Manichæus & Hispaniæ Priscilliani hæreses suspicantur; an in thesauro habeantur Dei olim conditæ, ut quidam Ecclesiastici stulta persuasione confidunt. An quotidie à Deo fiant, & mittantur in corpora, secundum illud quod in Evangelio scriptum est: Pater meus usque modo operatur, & ego operor. An certe ex traduce, ut Tertullianus, Apollinarius & maxima pars occidentalium autumant, ut quomodo corpus ex corpore sic anima nascatur ex anima: & simili cum brutis animantibus conditione subsistat. Ita ille varias circa animæ originem opiniones refert. De his quantum ad præsens nos ita:

¶ Animæ humanæ origo duobus consideratur modis: vel quoad primam creationem, vel quoad eiusdem propagationem. In prima creatione animam immediate à Deo originem accepisse creando dubium non est. Ita enim ex-

presse

presse Moses Gen. 2. v. 7. de hominis creatione scribit: formasse Dominum Deum hominem de limo terræ, & inspirasse in faciem ejus spiraculum vitæ, & factum esse hominem in animam viventem. Ac ita immediate quemadmodum corporis formatio, ita & animæ inspiratio & creatio Deo uni & soli adscribitur. Quod quid sit exposuit Chrysost. in Gen. hom. 13. quid est, inquit, inspiravit, spiraculum vitæ? Voluit & imperavit, ut hoc corpus haberet vitalem vim, quæ facta est animali in animam viventem; hoc est, efficaciter operantem, & suam artem motu ostendere valentem. Et Magister sententiarum in 2. d. 17. cap. de creatione animæ: non, inquit, carnaliter putemus Deum corporeis manibus formasse corpus, vel faucibus inspirasse animam: sed corpus formavit jubendo, volendo, id est, voluit & verbo suo jussit, ut ita fieret: & inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ, id est, substantiam animæ, in qua viveret, creavit non de materia aliqua Corporali vel Spirituali, sed de nihilo.

An vero ipsa vel substantia Dei sit, vel de substantia Dei creata anima? Fuerunt enim hæretici Manichæi, qui nihil aliud dicunt esse animam, quam ipsam Dei substantiam, ut docet August. lib. 7. de Genes. ad lit. cap. 11. Et Lombardus in 2. d. 17. cap. opinio quorundam hæreticorum, tradit, putasse quosdam hæreticos, Deum de sua substantia animam creasse, verbis scripturæ pervicaciter inhærentes, quibus dicitur inspiravit vel insufflavit &c. Cum flat, inquiunt, vel spirat homo de se flatum emittit. Sic ergo cum Deus dicitur flasse vel spirasse spiraculum in faciem hominis, ex se spiritum hominis emisisse intelligitur, id est de sua substantia,

tia Et Cicero Platonicorum sententiam usurpans sæpe dicere solet, animos humanos ex divina natura esse libatos, haustos, tractos, & decerptos. Vide Perer. in Genes. libro 4. num. 104.

Verum accurate monet August. epist. 146. ad Consentium quæst. 4. maxime esse cavendum, ne anima non à Deo facta natura, sed ipsius Dei substantia tanquam unigenitus filius, quod est Verbum ejus, aut aliqua ejus particula esse credatur, tanquam illa natura atque substantia qua Deus est quicquid est, commutabilis esse possit: quod esse animam, nemo non sentit, qui se animam habere sentit. Argumentum est hoc: Nihil mutabile potest esse substantia Dei. At vero anima est mutabilis, ipsa experientia id testante & conscientia cujusque dictante. Anima ergo substantia Dei esse non potest. Aliud argumentum adducit Mag. sent. citatio superius loco: Non sunt, inquit, audiendi, qui putant animam esse partem Dei. Si enim hoc esset, nec ab alio decipi posset, nec ad malum faciendum vel patiendum compelli, nec in melius vel deterius mutari. At vero hæc omnia accidere animæ quis est qui dubitet? Pars ergo substantiæ divinæ anima esse nequit. Quod vero ad argumentum in contrarium attinet, flatum provenire ex corpore flantis, atque propterea animam hominis ex Dei esse substantia ridiculum esse dicit Pererius: nec enim inspiratio illa Dei fuit corporalis, sicut nec locutio fuit corporalis, cum Deus dixit: fiat lux, fiat firmamentum: sed tropica locutione id dictum. Flare enim est flatum facere, flatum facere est animam facere. Quo sensu Augustinus interpretatur epistola 146 illud Esaiæ 42. & 57. omnem flatum ego feci; quod vel flatus ipse

anima

anima sit, vel ipso anima facta sit. Vide August. de anima & ejus origine lib. 1. quomodo in genere contra Vincentium Victorem disputet de hoc argumento.

Cæterum quod ad animæ propagationem attinet, de ea fusius in physicis nostris, & in libro de homine disputavi, ut opus non sit eandem doctrinam hoc loco repetere. Id tantum notabo, quod ab Hieronymo dictum durius aliquanto, vel saltem ambigue, traducem, (quam alias defendo) id inferre, ut anima simili cum brutis animantibus conditione subsistat, Quod si enim substantiam spectes, ex simili propagandi modo, eadem substantiæ ratio inferri recte non potest: quemadmodum enim plantis & animantibus communis ea vis est, ut simile possit generare sibi simile: nec tamen secundum substantiam eadem naturæ conditio recte infertur, quin & plantæ & animantia inter se, & hæ ab animantibus natura & specie differant: ita similis propagationis modus hujusmodi cum animantibus communis naturæ & conditionis substantialis identitatem non infert. Nec enim propagandi modus, sed propagationis, quemadmodum motus omnis terminis naturæ & substantiæ diversitatem importat. Non si alia ratio est Adami in creatione, alia Evæ, alia nostra in propagatione; naturæ propterea inferri potest diversitas. Sin propagandi modus spectetur, ita semper judicavi: cum divina benedictio & plantis & animantibus eam vim in prima crratione indiderit, ut crescere & multiplicare sese possint; non esse eandem vim homini denegandam, qui ut vi quadam insita crescere potest, ita etiam sese multiplicare;

tiplicare non secundum partem tantum, sed se totum possit. Quod tantum abest, ut quidquam detrahat humanæ, vel nobilitati, vel perfectioni: ut hoc opus naturalissimum eandem potius stabiliat, & confirmet. Qui solutionem argmentorum contra traducem è sacris adductorum videre petit, legat Augustinum de anima, & ejus origine ad Xenatum.

Atque hæc de anima strictim hoc loco persequi voluimus: quæ enim de animæ immortalitate & aliis circa hanc doctrinam sunt dubia fusè in Physicis tradidimus.

DEVS OPTIMVS MAXIMVS Angelos sanctos suos custodes nostrarum animarum clementer esse velit, omnem Satanæ malitiam depellant, & ipsius nomen à nobis sanctificetur, ad ipsius gloriam & nostram salutem. Amen.

REGI SECVLORVM, IMMORtali, Invisibili Soli, Deo honor & gloria in secula seculorum.

AMEN.

INDEX



INDEX QUÆSTIONUM, SENTENTIARUM & rerum, quæ in complexu primi Libri obveniunt.

A

Bonum

B.

C

Con-

G.

H.

I.

L.

Loci

è Nihilo

S

T

V

INDEX QUÆSTIONUM,

Sententiarum, & rerum in ſecundo Libro comprehenſarum.

Rerum

R.

FINIS.